Quaestiones Messeniacae

Philipp Kohlmann

ARNOLDO SCHAEFERO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

AVCTOR.

Praefatio.

De Pausaniae fontibus in historicis descriptionis Graeciae partibus cum adhuc parum quaesitum sit [1]), non oleum et operam me perdidisse spero cum ad perscrutandam hanc quaestionem me converterem. Plurimum ab eo absum ut in totum illius Periegetae volumen inquiram, quippe quod viribus meis maius foret, sed unam tantum partem eandemque non minimi momenti mihi delegi, Messeniaca eius dico, quae et forma et materia vel optime a Pausania esse scripta viri docti saepe agnovere [2]). Cuius universae disputationis primam occasionem nactus sum in sectione seminarii historici, in qua directore A. Schaefer v. d. antiquarum rerum historiae studium tribuimus, dissertatiuncula de temporibus belli Messeniaci alterius conscripta, a praeceptore ac commilitonibus comprobata.

Non a re abesse videtur brevitur exponere, quae sint mihi proposita ac quam secutus sim quaerendi rationem. Primum quidem librum Pausaniae quartum [3]) pervolvens omnia quae mihi fontem indicare videbantur com-

1) Vide quae Koenig, de fide Pausaniae etc. p. 11 sqq. et Schubart, Zeitschr. für Alterth., 1851 p. 315 sqq. attulerunt vel potius obiter tetigerunt, a quorum consilio accuratior disquisitio afuerit.

2) Valkenaer ad Theocr. Adon. p. 411 Messeniaca eximiam operis partem vocat.

3) Quem ipse nominavit ἡ Μεσσηνία συγγραφή cf. III 7, 5 15, 10. VIII 31, 1. X 38 10 et τὰ ἔχοντα ἐς Μεσσηνίους IX 14, 5.

ponenda auctoribusque suis quoad poteram assignanda curavi, inter quos a Pausania ipso nominatos Myronem Rhianum Tyrtaeum praecipuum tenere locum nemo mirabitur. Ad singulos auctores materia in ordinem digesta deinde a testimoniis a Pausania alienis profectus conatus sum propriis viribus consiliisque ad tempora bellorum Messeniacorum perscrutanda me accingere, ut viam quaererem qua illa studiis criticis adaequari possent. Itaque priore huius dissertationis capite de perquirendis fontibus rerum Messeniacarum tractabo, altero de ipsis constituendis temporibus. Praeterea priori parti inserui quaestionem de Tyrtaei patria et aetate, quas tandem aliquando ab omni squalore fabularum traditarum semperque iteratarum liberandas quisque concedet.

Denique non possum quin gratias agam quam maximas praeceptori dilectissimo A. Schaefer qui cum aliter tum in tractanda quam mihi proposueram materia studia mea liberalissime iuverit foveritque.

Caput I.

De fontibus quibus in describendis bellis Messeniacis usus sit Pausanias.

Ipse Pausanias e duobus historiarum Messeniacarum fontibus sese hausisse nobis tradidit, nominibus auctorum appositis, cum IV 6, 1 sqq. dicat: secutum se Myronem Prienensem et Rhianum Benaeum, quorum scripserit ille de bello primo inde ab expugnatione Amphiae, i. e. initio belli, usque ad mortem Aristodemi Messeniorum regis; hic de bello secundo inde a proelio ad fossam magnam commisso egerit, qui quousque res gestas tractaverit disertis verbis Pausanias non tradit. Quos duos scriptores eam potissimum ob causam produxit, ut de aetate Aristomenis, clarissimi Messeniorum ducis, distincte disputaret[1]. Praeter quos et poetam a veteribus inter primarios numeratum, Tyrtaeum, nonnunquam ita commemorat, ut carmina eius aut ante oculos habuisse Pausaniam aut certe satis ei fuisse cognita negari nequeat[2]. Cuius elegias cum certam materiam historicam vel continuam rerum a Spartanis contra Messenios gestarum descriptionem non potuisse praebere nemo sit quin sciat: Pausaniam quoque nonnisi singulis locis ideoque raro ea inspexisse concludere licet.

1) IV 6, 3 *τούτου γὰρ δὴ ἕνεκα* (sc. *'Αριστομένους*) *τὸν πάντα ἐποιησάμην 'Ριανοῦ καὶ Μύρωνος λόγον.*

2) Cf. IV 6, 5 13, 6 14, 5 15, 2.

Mihi quidem propositum est hoc, ut primum inquiram in istos tres auctores, quatenus in paucissimis eorum quae ad nostram aetatem duraverunt fragmentis licet, ac deinde num vestigia eorum in Pausaniae opere persequi possimus, perscruter, disputem denique de aliis quibus innisus sit in conscribenda hac *περιηγήσεως* parte adminiculis.

I.

Myron.

De Myrone Prienensi historiarum scriptore praeter mentionem apud Pausaniam factam paene nihil scimus, nisi quod Athenaeus e secundo libro *Μεσσηνιακῶν* duo servavit fragmenta [1]. Quae testimonio Pausaniae (IV 6, 2) haud totum belli primi spatium amplexa sunt, cum mortem Aristodemi finem operi suo imposuisset Myron, attamen maximam eius partem [2]. Non solum in comparandis Rhiani et Myronis iudiciis de aetate Aristomenis Myron poetae Cretensis auctoritati cessit [3], sed universa quoque de eius fide historica Pausaniae eiusmodi est sententia [4], ut neque opera eius perdita valde deleamus nec narratione primi belli, quam maxima ex parte ex eo fonte incerto fluxisse ostendemus, tamquam historia rerum vere gestarum uti possimus.

De aetate Myronis prorsus nihil constat, optime for-

1) Cf. Athen. VI 271 F. XIV 657 D. C. Müller fragm. hist. graec. IV p. 460 sq.

2) Nam post Aristodemi necem (Paus. IV 13, 4. 5) Messenii *μῆνας μέν που πέντε μάλιστα ἀντέσχον* (ib. 6. 7).

3) Paus. IV 6, 3 *Ῥιανὸς δέ μοι ποιῆσαι μᾶλλον ἐφαίνετο εἰκότα.*

4) Paus. IV 6, 4 *Μύρωνα δὲ ἐπί τε ἄλλοις καταμαθεῖν ἔστιν οὐ προορώμενον εἰ ψευδῆ τε καὶ οὐ πιθανὰ δόξει λέγειν, καὶ οὐχ ἥκιστα ἐν τῇδε τῇ Μεσσηνίᾳ συγγραφῇ.*

sitan tertio vel secundo seculo a. C. ascribas eum [1]). Paulo clarius videremus, si demonstrari posset, Myronem nostrum eundem fuisse atque oratorem illum, de cuius orationibus apud Rutilium Lupum [2]) nonnulla verba commemorantur. Quamquam Rutilius eum non distincte inter Asianos, qui dicuntur, oratores refert, veri simile tamen visum est viris doctissimis, Daphnidem, Myronem, Sosicratem, quos Rutilius laudet, et ipsos Asiaticos fuisse oratores [3]). Rhetorem hunc vel oratorem Myronem ab historico nostro distinguendum non esse primus, ni fallor, Boeckhius contendit [4]). In cuius sententiam plane discessit C. Muellerus (Fragm. hist. gr. IV p. 461), qui probabilem ratus Boeckhii coniecturam rhetoris fragmenta Rutilio Lupo excerpta historicis apud Athenaeum exstantibus subiunxit, neque habeo quod contradicam, cum rhetorici vestigia sermonis et in Pausaniae Messeniacis ex-

---

1) Inter veteres saltem scriptores referri eum non posse ut ex aliis ita ex oraculo trimetris iambicis conscripto Niebuhrius conclusit (cf. Vorlesungen über alte Gesch. I p. 317). Huiusmodi enim oracula posterioribus demum temporibus data esse exempla quidem docent a Schol. ad Ar. Nub. 144 allata, attamen iam apud Herodotum I 174 exstat oraculum iambicum. Cf. Porphyr. de oraculis ed. Wolff. p 69.

2) De figg. sententiarum I 20. II 1.

3) Cf. Ruhnkenii hist. crit. oratt. p. 93 ed. Lugd. Cui astipulatur Boeckhius ind. lectt. Berol. 1824—25. Novissimus qui oratorum graecorum studiis se dedit secutus eos videtur. Blass, griech. Beredtsamkeit von Alexander an. p. 34 sq.

4) Ind. lectt. Berol. 1824—25 p. 3 sq., ubi omnino de genere scribendi quo usus sit Pausanias disputavit. Acutioribus viri doctiss. observationibus haud assentiar, cum Hegesiam, qui primus inter Asianos fuisse dicitur (Cic. Brut. 286 sqq. Orat. 226. 230. Strabo XIV 648), exemplum quasi scribendi secutum Pausaniam affirmet. Pauca enim Hegesiae fragmenta, quae apud Dionysium Halicarnassensem (de comp. verb. 18. p. 244 sqq. ed. Schäfer) leguntur non video qumodo cum Pausaniae sermone consentiant. Iam Blass l. l. p. 30 not. 5 argumenta Boeckhii refutavit.

stare ostensurus sim. Ruhnkenii vero coniecturam, Asianis adnumerandum Myronem, quippe quae nullis argumentis nitatur, abiiciemus, cum rebus tam obscuris et incertis parum praebeatur fructus meris coniecturis.

Quae cum ita sint, id quidem satis probabile videtur, rhetorem illum eundem habendum atque Messeniacorum scriptorem, „*quae*" ut Muelleri verbis utar „*rhetoricae potius quam vere historicae indolis fuisse omnia suadent*".

Quod ut ex Pausania ipso probem nunc mihi erit experiendum.

Perlegenti cuique nonnullos Pausaniae libros sole clarius apparebit, quanto discrepet quartus noster a quovis alio. Pausanias enim cum prorsus incomptam et perversam elocutionem ubique perhibeat, toto de bellis Messeniacis libello rhetorico quodam ac nonnunquam poetico scribendi genere utitur, quod ex se ipso eum non hausisse facile intelligas. Omnes illae sententiae grandiloquae, quaesitus narrandi modus, rerum explanatio paene epica, omnia haec, ni fallor, originem suam fronti inscriptam prae se ferunt. Quod ad bellum primum attinet, in quo describendo Pausanias Myronem quousque scripserat secutus est, vestigia huius rhetoris, vel, si hoc non datur, rhetorici scriptoris non latent. Muellerus (l. l.) recte iudicasse mihi videtur, ea vitia quae nunc in Pausania reprehenderentur, magis etiam in Myronis opere conspicua fuisse. Rhetorico generi ascribam sententias huiusmodi: Paus. tradit IV 4, 7: *ἐν γὰρ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει καὶ ἄλλων ἐνόντων ἐφ' οἷς βιαζόμεθα ἄδικοι γίνεσθαι, τὰ κέρδη μεγίστην ἀνάγκην ἔχειν* [1]). IV 9, 6 *τὰ δὲ ἀνθρώπων καὶ οὐχ ἥκιστα τὸ πρόθυμον ἡ Πεπρωμένη* [2]) *κατὰ ταὐτὰ*

1) Nam etsi Myron inde ab expugnatione demum Amphiae coepit, causas tamen belli non tacuisse eum consentaneum est.

2) Hoc iam vocabulum *ἡ Πεπρωμένη*, Pausaniae insolitum

ἐπικρύπτει καὶ εἰ ψηφῖδα ἐπιλαβοῦσα ἰλὺς ποταμοῦ. IV 11, 6 πεφύκασι δέ πως οἱ ἄνθρωποι μάλιστα ἔχειν ἀκρατῶς πρὸς τὰ παρ' ἀξίαν. IV 13, 4 τὰ μὲν ἐς ἀνθρώπου λογισμὸν ἥκοντα Μεσσηνίους σώσας, τῆς τύχης δὲ ἐς τὸ μηδὲν ἀγαγούσης τό τε ἔργα αὐτοῦ καὶ τὰ βουλεύματα. cf. IV 13, 1 ἔρρεπε γὰρ ἤδη τὸ χρεὼν ἐς ἅλωσιν τῶν Μεσσηνίων. Adiungo narrationes praeliorum accuratissimis verbis conscriptas, orationesque a regibus vel ducibus habitas, cf. IV 7, 8 sqq. 8, 2. 3 sqq. 11, 1 sq. 3. 4 sqq. Errata deinde historica quae apud scriptorem omnia ad exornandam vel potius fucandam orationem vertentem non est quod miremur. Cuius generis sunt partes quas tribuit Pausanias ephoris Spartanis tempore quo ephoros quidem exstitisse Lacedaemone verisimile est, eos autem nihil aliud quam regum ministros fuisse constat [1]). Locus est apud Pausan. IV 4, 8, ubi Polycharem Messenium filii sui interfectorem Euaephnum apud reges et ephoros Lacedaemoniorum accusasse narratur [2]). Similia verba quae sunt c. 12, 2: πρὸς ταῦτα τοῖς βασιλεῦσι καὶ τοῖς ἐφόροις τέχνας μὲν προθυμουμένοις οὐκ ἐγίγνετο ἀνευρεῖν, eidem fonti addici debent. Haud aliunde originem accepit commemoratio Areopagi c. 5, 2, ad quem Messenii litem inter Polycharem et Euaephnum diiudicandam transferri voluerint (ἐπιτρέπειν δὲ καὶ τῷ Ἀθήνησι δικαστηρίῳ, καλουμένῳ δὲ Ἀρείῳ πάγῳ, ὅτι δίκας τὰς φονικὰς τὸ δικαστήριον τοῦτο ἐδόκει δικάζειν ἐκ παλαιοῦ.)

(praeter h. l. tantum VIII 21, 3 nomen deae profertur) fontem alienum indicat.

1) Haud recte Clinton (fast. Hellen. II p. 405 a) ephoros a Theopompo demum institutos contendit. cf. A. Schaeferum, de ephoris Laced. p. 10.

2) Idem legimus apud Diod. VIII frg. 7. Bekk. Πολυχάρην εἰς Σπάρτην κατηγορεῖται περὶ ὧν ἔπαθεν ἐπί τε τῶν ἐφόρων καὶ τῶν βασιλέων. cf. Schaeferum l. l. p. 8.

Ante Solonem illud iudicium quae officia in civitate Atheniensium habuerit cum omnino nesciamus [1]), provinciam eius fines Atticae profecto non transiisse haud dubie affirmare possumus; nullo modo octavo a. C. seculo Peloponnesios lites suas Athenas vel detulisse vel deferre voluisse statuemus. Probabilius fortasse est, alteri quod apud Pausaniam l. l. legimus iudicio Amphictyonum, omnibus Doriensibus communi, cuius sedes Argis fuisse videtur, causam illam credi potuisse [2]). A vero aberrasse scriptorem videmus et c. 8, 1, ubi legimus: *Μεσσήνιοι μὲν δρόμῳ ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους ἐχρῶντο*, nam cum ex Herodoto VI 112 sciamus Athenienses praelio Marathonio primos in hostes currentes [3]) irrupisse, tota Myronis illa narratio fortasse Herodotum ipsum vel aliquam aliam pugnarum posteriorum descriptionem imitata est. Restat ut quaeramus de eo quod Pausanias Myroni exprobravit, quod Aristomenem interfecisse Theopompum, Lacedaemoniorum primo bello clarissimum regem, illumque tempore primi vixisse belli tradidisset [4]), cum et Theopompum bellum ad finem perduxisse et Aristomenem secundo interfuisse constaret. Neque tamen praetereundum est quod etiam apud alios auctores Aristomenem

1) Schoemann, antiqu. gr. I 333. 344. Westermann in Paulyi Encycl. I 2. p. 1498 sqq.

2) Paus. l. l. *ἐθέλειν μέντοι παρὰ Ἀργείοις συγγενέσιν οὖσιν ἀμφοτέρων ἐν Ἀμφικτυονίᾳ διδόναι δίκας*, cf. Od. Müller Dor. I 154. Schoemann, antiqu. gr II p. 29. At tota illa amphictyonia dubia esse videtur. cf. K. W. Muellerum in Paulyi Encycl. I 1 p. 890 sq.

3) Herod. l. l. *πρῶτοι μὲν γὰρ Ἑλλήνων πάντων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν δρόμῳ ἐς πολεμίους ἐχρήσαντο.*

4) Paus. IV 6, 4 *πεποίηκε γὰρ (Μύρων), ὡς ἀποκτείνειε Θεόπομπον τῶν Λακεδαιμονίων τῶν βασιλέα Ἀριστομένης ὀλίγον πρὸ τῆς Ἀριστοδήμου τελευτῆς. Θεόπομπον δὲ οὔτε μάχης γινομένης οὔτε ἄλλως προαποθανόντα ἴσμεν πρὶν ἢ διαπολεμηθῆναι τὸν πόλεμον.*

cum Theopompo certasse et prioris socium fuisse belli traditum est [1]. Ac Diodorus quidem disertis verbis enuntiat (XV 66): *ἔνιοι δὲ τὸν Ἀριστομένην γεγονέναι φασὶ κατὰ τὸν εἰκοσαετῆ πόλεμον.* Eidem Diodoro fragmentum ascribitur in Cod. Mediceo quodam, ab Isaacio Vossio reperto, a primo editore Henrico Stephano 1567 ita inscriptum: *Ἀνωνύμου τινὸς περὶ δύο ἀνδρῶν ἀριστευσάντων ἐν πολέμῳ καὶ ἀγωνιζομένων περὶ πρωτείων* [2], quo certamen inter Aristomenem et Cleonnim, primi belli ducem, de virtutis praemio institutum narratur. Apparet igitur, Aristomenem primi ducem belli factum esse, quo commotus Boivinus [3]) duos vixisse Aristomenes contendit, sociumque prioris belli unum eundemque fuisse atque Aristodemum qui apud Pausaniam appellatus sit. Attamen Diodoro attribui posse hoc fragmentum, quippe quod potius rhetoricam quandam declamationem vel saltem scriptoris prae se ferat stilum, qui a Diodoro valde abhorreat. Multo autem probabilius videtur Myroni, cuius scribendi generi melius aptum sit, assignare illud fragmentum [4]).

Doctrinam rhetoricam porro redolere puto nonnulla alia quae nunc in discrimen vocabo. Euphaes, rex Messeniorum, cum praelio Theopompum videat in se irruentem (Paus. IV 8,8 *ὡς αὐτὸν ἀποκτενῶν Εὐφάην*) priusquam certamen cum eo committat comparationem illius instituit cum Polynice, qui adversus patriam castris motis fratrem suum interfecerit: quod absurdum esse nemo negabit.

---

1) Cf. Plut. Agis 21. Clem. Alex coh. ad gentes 3 § 27. Euseb. praep. evang. IV 16, 9.

2) Cf. Diod. VIII frag. 12 ed. Bekker. Vol. II p. 637—639 ed. Wesseling. G. I. Voss. de hist. gr. ed. Westermann p. 213.

3) Mémoires de l'acad. des Inscr II p. 80 sqq. qui de hoc fragmento loquaciter et insulse egit.

4) A Diodoro etiam abiudicat F. Iacobsius, vermischte Schriften VIII p. 87 sq.

Eodem spectat alterum de mythis epicis excerptum, ubi astutia Lacedaemoniorum cum fraudibus Ulyxis componitur (Paus. 12, 2). Deinde quod astutia illa iam inveterata et usitatissima nominatur [1]), id posterioribus quidem temporibus haud iniuria dici poterat, quibus Spartani dolis et astutiis plus iusto usi sunt, verum antiquo belli primi tempore nil valet. Sicut omnino saepissime qualem naturam rationemque paulatim in civitate quadam increbruisse animadvertebant scriptores, eam statim ad antiquissima eius tempora reducebant, ita Myron Lacedaemonios, quas satis solitas postea perhibebant rationes, iis iam contra Messenios usos tradebat. Quo in numero pono illa: Paus. 8, 11 *ἦν δὲ αὐτοῖς καὶ ἄλλως πάτριον σχολαιοτέρας τὰς διώξεις ποιεῖσθαι.* 7, 9 *πρὸς μὲν τοὺς Λακεδαιμονίους βραχεῖαν κατὰ τὸ ἐπιχώριον τὴν παράκλησιν ἐποιεῖτο ὁ Θεόπομπος.* cf. 8, 3. 6 12, 2.

Accedunt tandem miracula et portenta quae saepius rebus describendis intexta Pausaniam non de suo adiecisse, sed pariter e Myrone sumpsisse coniicio. Accuratius si filum narrationis inspexeris, persaepe continuationem perpetuamque seriem rerum gestarum desiderari facile animadvertes; res singulae non sunt aptae inter se ac colligatae, causae et principia quibus exortae sint non referuntur, universa temporum spatia oraculis enarrandis oblinuntur magis quam explentur. Ne exempla desint, consentaneum non est, Messenios praelio nec victos nec victores egressos tantopere repente constringi malis ut in montem Ithomen se recipiant (cf. 9, 1 sq.). Tisis a Messeniis Delphos deliberatum missus et inde reversus a Lacedaemoniis captus voce divina liberatur (9, 3). Scriptor cum nihil aliud proferre in promtu habeat, oracula

2) Ib. *Λακεδαιμονίων τὰ ἀδικήματα καινὰ εἶναι, τὰ δὲ σοφίσματα ἀρχαῖα.*

petuntur (12, 7)[1]. Tripodes, e quibus salus patriae pendet, a Messeniis non aenei sed lignei collocantur quod pecunia defecerit (12, 8). Mirifica quae Ithomes expugnationem praenuntient signa originem suam rhetoricam produnt, imprimis fuga canum omnium in castra Lacedaemoniorum (13, 1).

Ex hisce locis satis elucebit, Myronis Μεσσηνιακὰ Pausaniae purum et limpidum fontem praebere non potuisse, cuius praecipuum fuerit consilium ut lectores delectaret et teneret, et qui fidem historicam, sicut e Pausaniae ore et libro intelligimus, nullius habuerit momenti, scriptor fabularum magis, quam historiarum. Reliquas ad primum bellum pertinentes quaestiones infra continuas tractabo, cum accuratius de fontibus a Pausania non nominatis disputaturus sim.

II.
Rhianus.

In bello altero describendo cum Pausanias maxima ex parte Rhianum secutus sit, primum quaeramus necesse est, quid sciamus de Rhiano eiusque scriptis[2]. Cuius patriam et aetatem multo accuratius cognoscere possumus, quam Myronis.

1) Non alienum videtur de oraculo jam supra dicto nonnullis disserere. Exstat apud Paus. IV, 9, 4 quinque trimetris iambicis conscriptum; et notandum est idem duobus hexametris dactylicis tradi apud Euseb. praep. evang. V 27, 3. Quam ab rem Fielitzius amicus prius illud vulgari metro inclusum fuisse et Myronem e tragoedia aliqua de Messeniorum calamitatibus agente hausisse suum oraculum satis probabiliter coniecit. Diodorus autem (VIII frg. 8) qui oratione soluta oraculum profert, eundem fontem quem Myron secutus esse videtur, verbis utrimque inter se comparatis. Cf. Porphyr. de oraculis ed. Wolff. p. 73.

2) De Rhiano scripserunt: C. G. Siebelis, Programm. Budiss. 1829. Nic. Saal, Rhiani quae supersunt. Bonnae 1831. F. Jacobs, Anthol. XIII. 945 sq. verm. Schr. VIII 72 sqq. A. Meineke, Analecta Alexandrina p. 171 sqq.

Cretam enim eius patriam perhibent atque Benam urbem in ea insula sitam Suidas s. v. *Ῥιανός*, Eudocia p. 134, Steph. Byz. s. v. *Βήνη*, Pausanias ipse IV 1, 6. 6, 1. Aequalis fuit Eratosthenis quem ab Ol. 126—146 (276—196 a. C) vixisse Suidas s. v. *Ἐρατοσθένης* nos edocet. Qui cum Ptolemaeo III Euergete (246—221) regnante Athenis migraverit Alexandriam ibique usque ad tempora Ptolemaei V Epiphanis (204—181) commoratus sit [1]), verisimile est eodem tempore Rhianum Alexandriae aliquamdiu vixisse [2]). Rhianus ex servo et custode palaestrae grammaticus factus est ac poeta insignis. Exstant utriusque operum generis fragmenta, quae haud exigui ingenii fuisse eum probant. Quod ad grammaticam artem pertinet, recensionem carminum Homericorum perfecerat, eiusque nomen in Scholis Venetis saepius legitur [3]).

E sententia F. A. Wolfii [4]) Rhianus opus ab Arato coeptum continuandum suscepit, qui cum Odysseam edidisset [5]) ab Antiocho Sotere ut Iliadem quoque recenseret admonitus erat [6]). „*Quod quum exitum non habuisset*“ (ut Wolfii utar verbis) „*si bene coniicimus, eam operam suscepisse videtur Rhianus, nobilis et ipse poeta, cuius recensionem nobis pauca fragmenta desiderabiliorem faciunt, quam quidquid in hoc genere lusit Apollonius Rhodins.*“

Scriptorum Rhiani quamvis Suidas eumque secuta Eudocia nihil nisi Heraclea commemorent, tradita tamen

---

1) Suid. s. v. *μετεπέμφθη δὲ ἐξ Ἀθηνῶν ὑπὸ τοῦ τρίτου Πτολεμαίου καὶ διέτριψε μέχρι τοῦ πέμπτου.*

2) Cf. Meineke l. l. p. 174.

3) Undecies omnino in Scholiis ad Iliadem, tricies in Scholiis ad Odysseam citatur *ἡ Ῥιανοῦ* vel *ἡ κατὰ Ῥιανὸν* sc. *ἔκδοσις*. Locos omnes composuit Saal p. 62 sq.

4) Prolegg. ad Homer. p. 188.

5) Suid. s. v. *Ἄρατος . συνέταξε . . . διόρθωσιν Ὀδυσσείας.*

6) Cf. vitam Arati in Westerm. biogr. gr. min. p. 54, 58 sq.

habemus fragmenta carminum quinque longiorum nec non undecim epigrammata. Carmina Iacobsius [1]) ita recte mihi videtur distinxisse, ut duo fuisse carmina epica statuat Heraclea et Messeniaca, tria ethnographica Thessalica Achaica Eliaca. Consentaneum quidem est et haec continuisse digressiones historicas et mythicas, cum Rhianus apud Athenaeum XI 499 d *κατ' ἐξοχὴν* nominetur *ὁ ἐποποιός*. Idem voluit Suidas, cum dicat *ἑξάμετρα* [2]) *ποιήματα* i. e. epica scripsisse eum [3]). Quorum ad nostram materiam pertinent sola Messeniaca, ad quae fortasse versum referendum Manilii III 14: „Non annosa conam Messenae bella nocentis“ Iacobsius [4]) coniecit.

Quaeramus quidem oportet, quibus cancellis circumscripserit opus suum Rhianus, qua de re e Pausaniae verbis nihil certi assumere possumus. Nominatim apud Stephanum Byz. Messeniacorum liber primus (s. v. *Ἰρά*), quartus (s. v. *Δώτιον*), quintus (s. v. *Φιγαλέα*) sextus (s. v. *Ἀτάβυρον*) citantur, loci contra apud Pausaniam (IV 1, 6 17, 11) nullam praebent accuratiorem significationem.

Primum id constat, Rhianum nec historiam belli secundi versibus composuisse, nec Messeniorum origines mythicas carminibus celebrasse, sed inde a pugna ad fossam magnam sive a recessu Messeniorum in montem Iram poema incepisse [5]). Ut initium operis cognoscere licet,

1) Vermischte Schr. VIII p. 84.

2) Ita enim Meineke correxit pro vulg. *ἔμμετρα* l. l. p. 177.

3) De carmine quod Rhiano attribuitur a Steph. Byz. s. v. *Ἀράκυνθος*, *Φήμη* inscripto, nihil certi iudicare licet.

4) Anthol. gr. XIII 945.

5) Paus. IV 6, 2 *ὁπόσα δὲ χρόνῳ συνέβη τοῖς Μεσσηνίοις ἀποστᾶσιν ἀπὸ Λακεδαιμονίων, ὁ δὲ καὶ ταῦτα μὲν οὐ τὰ πάντα ἔγραψε, τῆς μάχης δὲ τὰ ὕστερα ἣν ἐμαχέσαντο ἐπὶ τῇ Τάφρῳ τῇ καλουμένῃ μεγάλῃ*. Non recte iudicare videtur Meineke p. 191: »Idem (Pausanias) Rhianum tradit priora belli eventa strictim tantum tetigisse, plenius autem et accuratius res gestas inde a pugna ad fossam

ita quem ad finem carmen produxerit poeta accuratius spero infra me ostensurum. Aristomenem, clarissimum Messeniorum ducem, primas apud Rhianum egisse partes, ut ita dicam, facile intelliges, cum inde a cap. 18 Pausanias nihil fere nisi de Aristomene eiusque rebus gestis tradat, testatus, Aristomenem apud Rhianum nihilo minus clarum fuisse, quam Achillem in Iliade Homerica [1]). Quaerendum igitur erit, num sit quod nos cogat ut finem Aristomenis Messeniacorum quoque finem fuisse et universum carmen fere nihil aliud nisi Aristomenis res gestas gloriosas amplexum statuamus. Ad discernendam hanc quaestionem optime fragmenta ipsa Messeniacorum perlustrabimus, persequentes ea secundum librorum singulorum ordinem [2]). Steph. Byz. s. v. Ἱρά (al. Ἰρά). ὄρος Μεσσηνίας. Ῥιανὸς ἐν Μεσσηνιακῶν πρώτῳ. Cum Messenii statim post pugnam ad fossam magnam in montem Iram se receperint, (Paus. IV 17, 10) Rhianum inde incipientem primo libro de Ira locutum esse oportet. Steph. s. v. Δώτιον. πόλις Θεσσαλίας . . . τὸ θηλυκὸν Δωτιῆς. Ῥιανὸς ἐν δ' Μεσσηνιακῶν·

Αὐδὴν εἰσάμενος Δωτιῆδι Νικοτελείῃ [3]).

E Pausania IV 14, 7 Nicoteleam matrem Aristomenis fuisse scimus, quacum daemonum vel deorum quendam serpentis forma concubuisse Messenii tradebant; nec dubium esse potest, quin apud Rhianum Nicotelea originem suam e

---

magnam quae dicitur commissa persecutum esse.« Rhianum de prioribus eventis omnino nihil scripsisse opinor.

1) 6, 3 Ῥιανῷ δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν οὐδὲν Ἀριστομένης ἐστὶν ἀφανέστερος ἢ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἰλιάδι Ὁμήρῳ. Quamobrem Duncker (Gesch. des Alterth. III 427) potius Ἀριστομενεῖς quam Μεσσηνιακά carmen esse nominandum contendit.

2) Cf. Siebelis p. 17 sqq. Saal p. 24 sq. Meineke p. 193 sqq.

3) Vulg. αὐδὴν εἰσώμενος Δωτηὶν ἔκτο τελείῃ. Correxit Heringa probante Meinekio p. 198. Westermann: Δωτηὶ νικοτελείῃ cum cod. Seguer. Muellerus, Dor. II 536: Δωτιῆϊ.

Thessalia duxerit [1]). Agitur de umbra dei cuiusdam, specie matris Aristomenis assumpta ab aliquo fortasse eo ipso per quietem visa. Haud inepte Iacobsius (l. l. p. 96) de Somnio cogitat qui deus saepius similiter in Homeri carminibus reperiatur. cf. Il. B 20. Odyss. δ 796. 803. Nomen matris Nicoteleam si cum nomine patris, qui a Messeniis in libationibus Aristomeni oblatis Nicomedes appellabatur [2]), contuleris, altiorem illa vim habere non negabis, quae ambo a voce νίκη derivata sint ita ut iam nascenti Aristomeni victoria quasi insita sit.

Steph. s. v. *Φιγαλέα, πόλις Ἀρκαδίας. Ῥιανὸς ἐν ε' Μεσσηνιακῶν·*

τὴν μὲν ἀνήγετ' ἄκοιτιν ἐπὶ κραντὴν Φιγάλειαν.

Eadem res est atque apud Paus. IV 24, 1, Aristomenem, antequam ex Arcadia Rhodum se contulerit, praeter filias duas et sororem Hagnagoram nuptum dedisse, quam Tharyx in patriam suam Phigaliam duxerit. Apparet, hoc quinto libro belli ipsius narrationem iam finitam esse, ac simul videmus, quantopere Pausanias in singulis rebus secutus sit Rhianum.

Steph. s. v. *Ἀτάβυρον, ὄρος Ῥόδου. Ῥιανὸς ἕκτῳ Μεσσηνιακῶν.* Eo quod hoc carminis libro de Rhodo insula sermo fuit, non certum quidem, attamen verisimile fit, Rhianum de migratione Aristomenis in eam eiusque morte eodem loco egisse [3]).

Unde num concludere liceat omnino hoc libro finem operi Rhianum imposuisse neque ultra Aristomenis mortem cecinisse iam disputabimus. Antea vero reliquum

---

1) Siebelisio p. 18 de oppido Messenio *Δώριον* (Paus. IV 33, 7 Hom. Il. B 594) cogitanti equidem non assentiar.

2) Cf. Paus. IV 14, 8 *Μεσσηνίους δὲ οἶδα αὐτοὺς ἐπὶ ταῖς σπονδαῖς Ἀριστομένην Νικομήδους καλοῦντας.*

3) Ita Muellerus, Dor. I 152 coniecit neque video quemquam ei non assensum esse.

est ut impedimentum quoddam alio Stephani loco nobis oppositum removeamus, cui difficultatem inesse omnes viderunt. Excerptor enim Stephani s. v. *Ἀνδανία* haec nobis verba vulgata lectione tradidit: *Ἀνδανίαν πόλις Μεσσήνης, ὁμώνυμος τῇ χώρᾳ .... τό ἐθνικὸν Ἀνδανιεύς, ὡς Φίλων ἐν τῇ περὶ πόλεων. ἐκ ταύτης Ἀριστομένης ἐγένετο, ἐπιφανέστατος στρατηγός. τοῦτον οἱ Λακεδαιμόνιοι πολλάκις αὐτοὺς νικήσαντα θαυμάσαντες ὡς μόλις ἐκράτησαν ἐν τοῖς Μεσσηνιακοῖς ἀνατεμόντες ἐσκόπουν εἰ παρὰ τοὺς λοιποὺς ἔστι τι καὶ εὗρον σπλάγχνον ἐξηλλαγμένον καὶ τὴν καρδίαν δασεῖαν* [1]*, ὡς Ἡρόδοτος καὶ Πλούταρχος καὶ Ῥιανός. τὸ θηλυκὸν Ἀνδανιάς. λέγεται δε καὶ Ἀνδάνιος, ὡς Ῥιανός.*

Neminem latere potest, Herodoti mentionem nihili aestimandam, qui in universis operis sui libris ne unum quidem verbum de Aristomene scripserit. Causam erroris Plutarchi locum dedisse male intellectum iudicare possumus. Nam quod apud Plutarch. de malign. Herod. 10 p. 856 F [2]) legitur, Herodotum eo reprehendendum, quod qui affirmarit neque Ionem neque Helenam rapi potuisse nisi ipsae voluissent, idem Aristomenem a Spartanis vivum esse captum dixerit: nec quidquam affert ad propositum Stephani, et ipsum Plutarchum lapsum sane magnum

1) Eandem de Aristomenis morte narrationem habent Plin. XI § 186 Valer Max. I 8 ext. 15, (qui pro Lacedaemoniis falso Athenienses profert) quem descripsit Nepotianus, epitome IX 27. p. 501 Halm. Cor hirsutum animi fortissimi argumentum habebatur. Plin. XI 184. Eustath. ad Il. *α* 189 qui in eadem re et Lysandri facit mentionem. Nonnus Dionys., XXVI 90 sqq. *τοῖσιν ἐνὶ κραδίῃ λάσιαι τρίχες, ὧν χάριν αἰεὶ ψυχῆς θάρσος ἔχουσι καὶ οὐ πτώσσουσιν ἐνυῷ.*

2) *Καὶ τοὺς θεοὺς τοίνυν ἀβέλτερα ποιεῖν λέγωμεν, ὑπὲρ τῶν Λεύκτρου θυγατέρων μηνίοντας Λακεδαιμονίοις, καὶ κολάζοντας Αἴαντα διὰ τὴν Κασάνδρας ὕβριν· δῆλα γὰρ δὴ καθ' Ἡρόδοτον, ὅτι εἰ μὴ αὐταὶ ἐβούλοντο οὐκ ἂν ὑβρίζοντο. Καίτοι καὶ Ἀριστομένη φησὶν αὐτὸς ὑπὸ Λακεδαιμονίων ζῶντα συναρπασθῆναι.*

commisisse docet, rei mentionem apud Herodotum factam contendat, cuius ne literam quidem invenire possimus [1]). Plutarchi autem errorem a Stephano receptum esse mihi persuasum habeo. Sed quid sibi vult Rhiani commemoratio? Ad dissolvendam difficultatem diversissimae viae institutae sunt. Saalii [2]) sententia haec est: Rhianum primum totam illam quae apud Pausaniam exstet narrationem exposuisse, in fine vero alteram de Aristomenis nece ut falsam minimeque approbandam protulisse, quod saepius a poetis Alexandrinis factum esse verissime Naekium virum doctissimum monuisse. Quam sententiam quomodo Iacobsius (l. l. p. 92), veri similem habere potuerit, miror, cum non statuendum putem, eundem poetam de Aristomenis morte vel nece, quem toto carmine victorem divinum praedicaverit, complures inter se diversas formas narrasse. Nihil aliud esset nisi de Rhiani ingenio maximam partem detrahere. Aliam rationem sibi elegit Siebelisius (l. l. p. 21), qui ut sanationem perficeret, Stephani verba corrupta habens transposuit scribendo: *ἐκ ταύτης Ἀριστομένης ἐγένετο ἐπιφανέστατος στρατηγός, ὡς Ῥιανὸς ἐν τοῖς Μεσσηνιακοῖς. τοῦτον οἱ Λακεδαιμόνιοι — μόλις ἐκράτησαν, ἀνατεμόντες — καὶ Πλούταρχος.*

Rectius autem cum Meinekio p. 197 ita emendabimus. Singulae sermonis apud Steph. partes aut errore epitomatoris aut librario negligentia male transpositae sunt, cum verba quae ad ethnographica magis spectant longa illa de Aristomene narratiuncula dissecentur. Nec difficile est suum cuique locum reddere. Scripsit enim auctor: *τὸ ἐθνικὸν Ἀνδανιεύς, ὡς Φίλων ἐν τῇ περὶ πόλεων. τὸ θη-*

1) Non sanavit locum Muellerus, Dor. I 142 qui legendum censet *καίτοι καὶ Ἀριστομένην φασὶν αὐτὸν ὑπὸ κτλ.* cf. Meinekium p. 197. not. 1.

2) l. l. p. 29, qui Naekium facillimam hanc explicationem sibi ad manus dedisse dicit.

λυκὸν Ἀνδανιάς. λέγεται δὲ καὶ Ἀνδάνιος, ὡς Ῥιανὸς ἐν τοῖς Μεσσηνιακοῖς. ἐκ ταύτης κτλ. — ἐκράτησαν, ἀνατεμόντες — καὶ Πλούταρχος. Verba *καὶ Ῥιανὸς* de superno loco ad finem detracta erant.

Sed haec hactenus. Rhianus solam illam vulgarem quam Pausanias excerpsit narrationem de morte Aristomenis carmine suo tradiderat.

Tandem subiungendi Messeniacorum versus a Pausania conservati qui certo libro nequeunt attribui. Duo sunt fragmenta: IV 1, 6:

πάρ τε τρηχὺν Ἐλαιὸν ὑπὲρ δρυμόν τε Λύκοιο.

De Lyco, Pandionis filio, agit qui mysteria Eleusinia in Messeniam portarat cuiusque nomen appositum erat silvae alicui (cf. Paus. IV 2, 6). IV 17, 11:

οὔρεος ἀργεννοῖο περὶ πτύχας ἐστρατόωντο
χείματά τε ποίας τε δύω καὶ εἴκοσι πάσας.

Ubi tempus, quod Irae oppugnatio complexa est, undecim annorum testimonio Rhiani confirmatur.

Quae Siebelisius [1]) ex fragmentis prorsus incertis carmini nostro ascribere voluit, nunc omitto, cum nihil ad propositum attineant meum.

Vidimus pauca Messeniacorum fragmenta cum Pausania plane consentire, quod magis etiam apparebit, ubi narrationem Pausaniae de bello secundo accuratius perscrutabimus.

Unicuique librum de Messeniorum calamitatibus [2]) cursim modo pervolventi iam id elucebit rationem scribendi multum distare a solito Pausaniae genere; sin diligentius perleges ubique manifesta in promtu habebis documenta, fontes Pausaniae et materiae et formae operis speciem

---

1) l. l. p. 22 sq. Profert locos Stephani Byz. s. vv. *Ἐχῖνος, Φύσκος, Μάκρυες.*

2) Paus. IV 6, 1 *πρὶν δὲ ἢ συγγράφειν με τὸν πόλεμον καὶ ὁπόσα πολεμοῦσιν ἑκατέροις ὁ δαίμων παθεῖν ἢ δρᾶσαι παρεσκεύασε.*

suam conciliasse. Sicut iam supra rhetoricum et exornatum narrandi genus e Myrone deduximus, ita nunc poeticam orationem ad Rhianum referre oportebit. Illustrissima tantum et clarissima argumenta hic proponemus, cum pauca iam sufficiant.

Aristomenes a sagittariis Creticis captus in agrum ducitur, quem matrona cum unica filia colebat. Quae puella nocte priusquam illi venerint somnium vidit a Pausania IV 19, 5 secundum Rhianum narratum, quo ad liberandum Aristomenem excitata est. (*λέοντα ἐς τὸν ἀγρὸν λύκοι σφίσιν ἤγαγον δεδεμένον καὶ οὐκ ἔχοντα ὄνυχας. αὐτὴ δὲ τοῦ δεσμοῦ τὸν λέοντα ἀπέλυσε καὶ ἀνευροῦσα ἔδωκε τοὺς ὄνυχας, οὕτω τε διασπασθῆναι τοὺς λύκους ἔδοξεν ὑπὸ τοῦ λέοντος.*) Mysteria sacrosancta quibus ultima Messeniorum spes inhaerebat, ab Aristomene occulto loco defodiuntur diique custodes subornantur, cf. 20, 4. Nihilo minus exitium Messeniae imminebat atque eadem quidem qua Troia ceciderit causa, 20, 5: *μετὰ δὲ τοῦτο τοῖς Μεσσηνίοις ἤρχετο, καθὸ καὶ Τρωσὶν ἔτι πρότερον, γινέσθαι κακὰ ἀπὸ μοιχείας.* Quae aliunde nisi e carmine epico sumta esse non possunt. Notabile porro est sagittarios Cretenses stipendium apud Spartanos merere, quorum etiam urbes singulae commemorentur [1]), quae tota res ni egregie fallor tantum a poeta Cretensi dici potuit [2]). Nonnulla iisdem quibus Rhianus usus erat verbis a Pausania conscripta sunt, saltem inveniuntur sententiae a stilo Pausaniae alienae, cf. 21, 2 *ὡς ἐν δικτύοις ἐσχημένοι.* Eodem loco (§ 5) Aristomenes et Theoclus vates milites ad strenuam virtutem exhortantur, quocum conferre licet

1) cf. 19, 4 *Κρῆτες δὲ τοξόται, μετεπέμψαντο γὰρ ἔκ τε Λύκτου καὶ ἑτέρων πόλεων μισθωτούς.* 20, 8 *ἑαλωκότα ὑπὸ Λακεδαιμονίων καὶ τοξοτῶν Ἀπτεραίων.*

2) Cf. Mueller, Dor. I 144.

eiusdem rei expositionem in Iliade δ 231 sqq. [1]). Iterum excitantes Messenios iidem duo sequenti die admonent fortitudinis quam sequantur Smyrnaeorum contra Gygem probatae. Quod documentum puto Rhianum historias vetustas percognitas habentem [2]), si videbatur, narrationi suae comparationem earum innexuisse.

Procedente ultima pugna oratio Pausaniae magis magisque sese effert et suscipit colorem plane poeticum. Verba quibus Theoclus voluntariam pro patria mortem appetens hostes alloquitur, prorsus rhythmice cadunt. Quare commotus Iacobsius ea versibus includere conatus est [3]). Praeclara est Arcadum et Messeniorum contionis descriptio in qua proditio Aristocratis Arcadum regis detegitur nec dubito quin ea prorsus, sicuti apud Pausaniam legamus, a Rhiano sit contexta. Ieiuna et tenuis Pausaniae oratio tale quid haud genuerit (Paus. IV 22, 6 sq.). Rhythmica quoque verba sunt c. 24, 3 *οὐ γὰρ ἔδει συμφορὰν οὐδεμίαν Λακεδαιμονίοις ἔτι ἐξ Ἀριστομένους γενέσθαι* [4]).

Doctrinam suam eo quoque significavit Rhianus quod Aristomenem aequalem fecit duorum regum in Asia do-

---

1) Quod iam Saal p. 24 adnotavit.

2) Forsitan hac in re Mimnermum secutus est, qui in Smyrnaeorum pugnam elegiam composuerat. cf. Paus. IX 29, 4. Mimnerm. frg. 13 Bergk.

3) Paus. IV 21, 10. Iacobs, verm. Schr. VIII p. 93 not. 27 qui hoc modo restituit versus: *ἀλλ' οὔ τοι τὸν πάντα χρόνον χαίροντες ἔσεσθε | ἔργα τὰ Μεσσήνης καρπούμενοι· ὧδε βοήσας | τοῖσιν ἐναντιβίοισιν ἐπέσσυτο, δαίμονι ἶσος.* Similiter iudicavit L. Spengel, Abhandlungen d. Münchener Akad. Classe 1 Bd. X p. 31 not. 2 „*Herrliche poetische Schilderungen, Alles aus Rhianus Gedicht, das Paus. in Prosa aufgelöst hatte und in welchem man noch manche Hexameter erkennen kann.*"

4) Iacobs l. l. haec ita transscripsit: *Οὐ γὰρ ἔδει νέον ἄλλο κακὸν Λακεδαιμονίοισιν | Ἐξ αὐτοῦ τελέθειν.*

minantium, Ardyis Lydorum regis et Phraortis qui Medis imperabat. Tales rerum uno eodemque tempore gestarum compositiones synchronisticae Alexandrinorum inter studia libenter tractabantur, nec mirum quod Rhianus, qui aequalis erat chronographi magni Eratosthenis, ab iis alienus non fuit. Qua de re et infra verba facienda sunt.

Hucusque de Aristomene fere uno sermo erat, cum cap. 24, 5 Pausanias convertit sese ad tertium quod dicitur bellum ac Messeniorum Peloponneso expulsorum Naupactum commigrationem, tum, Naupacto quoque a Lacedaemoniis expugnato, dissipationem per Libyam, Italiam aliasque regiones exposuit, donec Epaminondas, apud Leuctram victoria de Lacedaemoniis reportata, exulibus convocatis novam urbem, Messenem appellatam, aedificaverit. Deinde nova cum Spartanis certamina, bella contra Alexandrum et Demetrium variaque Messeniorum fata referuntur usque ad necem Philopoemenis quem illi veneno interceperuut (c. 29, 12). Historiis Messeniacis finem imposuit Pausanias hisce verbis IV 29, 13: *Ἄχρι μὲν δὴ τοῦδε ὁ λόγος ἐπῆλθέ μοι Μεσσηνίων τὰ πολλὰ παθήματα, καὶ ὡς ὁ δαίμων σφᾶς ἐπί τε γῆς τὰ ἔσχατα καὶ ἐπὶ τὰ πορρώτατα Πελοποννήσου σκεδάσας ὕστερον χρόνῳ καὶ ἐς τὴν οἰκείαν ἀνέσωσε· τὸ δὲ ἀπὸ τούτου τῆς χώρας καὶ πόλεων τραπώμεθα ἐς ἀφήγησιν.* Quae verba melius superiore iam loco posuisset, post conditae Messenes relationem. Attamen iis documentum mihi inesse videtur, carmen suum ultra mortem Aristomenis duxisse Rhianum quippe qui usque ad finem capitis XXVII Pausaniae fontem praebuerit. Ceteram de rebus gestis Messeniorum post reditum in Peloponnesum narrationem Pausanias aliunde haustam, ex Ephoro fortasse, ipse addidit. Primum id verba Pausaniae modo relata probare mihi videntur, quae cum nihil aliud complexa nisi bella priora atque expulsionem et reditum Messeniorum nihil valeant ad posteriora eorum fata, hoc loco apte posita non sunt. Quae Pausanias sive e

Rhiano excerpsit sive ipse composuit seriem continuam perpetuamque narrationem indicant nec fallar hoc ipsius Rhiani carminis argumentum fuisse ratus. Accedit alterum quod sententiam nostram fulcire et praemunire queat, quod in ipso Pausania habemus. Qui cum in capitibus Aristomenis morti proximis, quae historias belli tertii [1]), translationis Messeniorum e patria in fines Naupacti, certaminum contra Aetolos gestorum postea contra Lacedaemonios belli Peloponnesiaci tempore, ultimum tandem eorum exilium amplectebantur, usitato suo scribendi genere paulum tantum commutato narraverit, inde a victoria Leuctrica et revocatione Messeniorum prorsus alio stilo scripsit, imprimis novae urbis institutionem celebrationemque sacrorum diligenter exponens.

Huc spectant somnia duo quae anno ante pugnam Leuctricam exulibus in Sicilia et Libya commorantibus finem malorum praenuntiant (IV 26, 3), tum Lacedaemoniis fugatis [2]) Thebani omnes revocant, ib. § 5 *ἔκ τε τῆς ἄλης, εἴ πού τις Μεσσηνίων εἴη, πανταχόθεν ἀνεκάλουν ἐς Πελοπόννησον.* Epaminondae dubio, quo loco aedificaret novam urbem, somnio adstitit senex antistitis ornatu summam nominis gloriam pollicitus, si Messeniis patriam refecisset (26, 6). Idem visum nocturnum etiam Epiteli, Argivorum duci, enuntiavit, ut quo loco Ithomae smilacem et myrtum vidisset humo effossa anum aeneo thalamo clausam prope animam agentem eximeret (§ 7). Loco indicato aeneam urnam invenit qua ad Epaminondam delata et aperta mysteria magnarum Dearum conspiciunt, quae Aristomenes ibi defosserat.

Tota haec quam descripsimus narratio poeticam prae

---

1) Annis 464—455 a. C. gesti, cf. Schaefer, de rerum post bell. Pers. temporibus p. 8.

2) ib. § 4 *ἐγένετό τε οὐ μετὰ πολὺ ἐν Λεύκτροις Λακεδαιμονίων τὸ ἀτύχημα ὀφειλόμενον ἐκ παλαιοῦ.*

se fert naturam et verba quibus umbra Epaminondam affatur prorsus rhythmice cadunt.

Denique gravis quam Dioscuri contra Messenios habuerint irae causa exponitur (27, 1 sq.), quam rem quin Pausanias e Rhiano prius omissam hic adiecerit non dubito. Adolescentuli duo Messenii, Panormus et Gonippus habitu et gestu Dioscurorum assumpto Lacedaemoniis festum agentibus diem se immiscent atque ab iis adorabundis recepti multam stragem ediderunt[1]).

Cap. XXVII 8 narratio ad finem quendam perducitur, Pausania sequeutibus versibus addente chronologicas aliquas annotationes, de quibus infra dicendum est.

Quae cum ita sint, haec constare mihi videntur:

1) Rhiani Messeniaca a pugna ad Fossam Magnam usque ad reditum Messeniorum in Peloponnesum pertinuisse.

2) Pausaniam, qui ubicumque rebus gestis a Rhiano enarratis in describendo opere usus sit, eas partes quas poeta aut obiter modo tetigisset aut plane omisisset aliunde addidisse, fortasse ex Ephoro et Diodoro, quos accuratius pertractavisse Messeniorum historiam fragmenta edocent.

Efficitur re ipsa ultra sex qui vulgo numerantur libros processisse carmen nec video quod obstet. Cum omnino tantum de libris I IV V VI certa fragmenta habeamus, multa vero incertorum librorum, fieri potuit, ut aut nihil ex posterioribus libris supersit nobis aut inter incerta illa nonnihil ex his lateat. Dubitanter iam Siebelisius l. l. p. 16 hanc sententiam protulit. Meinekii vero iudicio (l. l. p. 190 sq.) non assentiar, qui dubitari non posse existimat, quin Rhiani carmen hunc fere unicum et primarium finem habuerit ut Aristomenes eiusque res gestae celebrarentur.

---

1) Alii Aristomenem ipsum alterum amborum fuisse tradidere, cf. Polyaen. II 31, 4, cuius auctor fortasse Diodorus vel Ephorus fuit.

Quaestione nostra huc perducta paulum moremur necesse est, priusquam ad alios quibus Pausanias usus sit fontes inquirendos nos accingamus. Imprimis enim perscrutandum nobis est: unde Myron et Rhianus auctores et forma et materia operum diversissimi [1]), hauserint.

Consentaneum est, calamitates a Messeniis bellis acceptas et magnificas ducum praestantissimorum res gestas cupiditatem ulciscendi iniurias a victoribus Lacedaemoniis toleratas excitasse et adiuvisse, ut universae antiquiorum temporum historiae patria expulsis lumina quasi viderentur, quibus colendis fatorum malorum tenebrae dissiparentur, iisque illi omnia magna et sublimia attribuere peterent. Sicut semper fieri solet ut populus victus et subactus quo tristiora instantia tempora futuraque obscuriora, eo magis illustri praeteritorum factorum gloriae adhaerescere atque ea omnesque praecellentes maiorum duces poetica quadam ratione illustrare studeat: ita Messenii, gens haud minimo ingenio praedita, vetustorum beatiorum temporum memoriam pio animo retinebat atque excolebat singula et exornabat. Quo factum est ut carmina popularia gignerentur quibus facta maiorum et gloriam antiquae Messeniae celebrarent. Eo minus hoc affirmare dubitamus quod duo fragmenta talium carminum adhuc exstant, alterum apud Pausaniam IV 16, 6: *Ἀριστομένει δέ, ὡς ἀνέστρεψεν ἐς τὴν Ἀνδανίαν, ταινίας αἱ γυναῖκες καὶ τὰ ὡραῖα ἐπιβάλλουσαι τῶν ἀνθῶν ἐπέλεγον* ᾆσμα τὸ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι ᾀδόμενον

ἔς τε μέσον πεδίον Στενυκλήριον ἔς τ' ὄρος ἄκρον
εἵπετ' Ἀριστομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις.

---

1) Spengel quidem l. l. aliter cogitat, cum dicat: „*Man möchte auch den Myron gleich Rhianus für einen Dichter halten, dieselbe beabsichtigte Concinnität, bis ins Tragische gestaltet.*“ Quod ita recte sese non habere manifestum est.

Alterum epigramma est columnae inscriptum, quae in memoriam detectae Aristocratis proditionis in templo Iovis Lycaei collocata erat, a Pausania IV 22, 7 et Callisthene apud Polyb. IV, 33 init. servatum[1]. Verba epigrammatis haec sunt:

Πάντως ὁ χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλῆϊ,
εὗρε δὲ Μεσσήνης[2] *σὺν Διὶ τὸν προδότην*
ῥηϊδίως. χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἄνδρ' ἐπίορκον.
χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ, καὶ σάω Ἀρκαδίαν[3].

Quam firmiter et pertinaciter Messenii omnia patria mores linguam retinuerint testatur Pausanias[4]. Messenia ab Epaminonda restituta non potuit quin universa priorum seculorum memoria denuo effloresceret, et qui iam antiquitus mos fuisset festis Ithomaeis certamina poetarum instituere tum quoque usitatus est[5]. Quorum carminum argumenta profecto nonnunquam ex historiis antiquis petita sunt, inter quas res a regibus heroicis gestae excellebant. Itaque materia uberrima colligebatur digna quae a poeta epico continuo carmine componeretur: quod optime ab Alexandrinis fieri poterat, qui omnia tam heroica quam historica quam ethnographica argumenta elaboranda sibi eligebant. Inter hos Messeniacorum scripto-

---

1) Cf. Callisth. frg. 11 in Muelleri scriptoribus Alexandri Magni p. 15.

2) *Μεσσήνη* apud Polyb.

3) *Ἀρκαδίην* Polyb.

4) 27, 11. *Μεσσήνιοι δὲ ἐκτὸς Πελοποννήσου τριακόσια ἔτη μάλιστα ἠλῶντο, ἐν οἷς οὔτε ἐθῶν εἰσὶ δῆλοι παραλύσαντές τι τῶν οἴκοθεν, οὔτε τὴν διάλεκτον τὴν Δωρίδα μετεδιδάχθησαν, ἀλλὰ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι τὸ ἀκριβὲς αὐτῆς Πελοποννησίων μάλιστα ἐφύλασσον.*

4) Cf. Paus. IV 33, 2 et 27, 7. Formam talium carminum quodammodo restituere conatus est Barthelemy, Voyage du jeune Anacharsis en Grèce IV p. 34 sqq. qui tribus elegiis soluta vero oratione tria bella Messeniaca circumscripsit.

res Aeschylus numerandus est, teste Athenaeo XIII 599 E: *Αἰσχύλος ὁ Ἀλεξανδρεύς, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ καὶ τὰ Μεσσηνιακὰ ἔπη συνθεὶς ἀνὴρ εὐπαίδευτος*[1]). Neque aliter Rhianus egerit, quem etiam in Messenia ipsum aliquamdiu commoratum e corruptis quidem verbis Suidae et Eudociae, quibus iam dudum certa allata est sanatio, probabiliter colligere possumus. Cum enim Suidae verba: *ἄλλοι δὲ Ἰθάκης τῆς Μεσσήνης αὐτὸν ἱστόρησαν*, quae iam Eudocia corrupta legit et descripsit, e cod. Paris. in *Ἰθώμης* correcta sint, causa illius relationis non potest fuisse ea quam Siebelisius vult[2]), sed maiore probabilitate sententia iam a Saalio p. 12 dubitanter prolata, a Meinekio vero p. 173 accurate demonstrata recipienda est, Rhiano, qui aliquantum temporis ibi commoratus erat, *ut ea loca in quibus Aristomenes immortalia ediderat opera suis intueretur oculis eoque facilius istas regiones peragrando nobilissimi carminis quod de bello Messeniaco condidit, materiam colligeret*", inde Messeniam et Ithomen patriam attributam esse. Accedit quod secundum Rhiani epigramma ostendere videtur Peloponnesum ab illo peragratam, cuius verba haec sunt:

Ἡ Τροιζὴν ἀγαθὴ κουροτρόφος· οὐκ ἂν ἁμάρτοις
αἰνήσας παίδων οὐδὲ τὸν ὑστάτιον.

In Messeniacis nostris et vestigia exstant quae ostendunt saepissime sermonem et memoriam Messeniorum secutum auctorem, cum voces sicut *φασὶ λέγουσι* similesque in bellorum narratione vicies ter numeraverim; quas quamvis a Pausania ipso Messeniorum narrationes literis man-

---

1) Scripsit et tragoediam *Ἀμφιτρύων* (Athen. l. l.) et *περὶ παροιμιῶν* (Zenob. V 85 in Corp. Paroemiogr. I p. 154. cf. praefationem Schneidewini p. XI.)

2) l. l. p. 7: hominem qui Messeniorum res carmine persecutus erat facile quis opinari potuit in Messenia ipsa eiusque urbe bello incluta natum esse.

dari potuisse non negem, utique ad res memoria traditas referendae sunt.

Iuvabit propositum nonnullis ostendere exemplis, quomodo hae narrationes populares, ut ita dicam, et apud alios scriptores traditae, oribus hominum transmutatae sint.

Quod facillimum erit in Aristomene ipso eiusque rebus praeclare gestis considerandis.

Primum quidem de aetate eius duas diversas sententias discernere possumus: altera eum primo bello attribuebat, secundi contra ducem reddebat altera. Secundum illam Aristomenes, ut Messenii narrabant, Theopompum interfecerat [1]), ut Lacedaemonii tradebant, tantum vulneraverat [2]). Rhianus vero alteram memoriam secutus est, assentante Pausania [3]).

Deinde res gestae Aristomenis ipsae vario modo tradebantur, quarum mirabiles nonnullas deligam. Secundum Rhianum ter est captus, ter autem liberatus. Primum in expeditione contra Aegilam facta a mulieribus festos Cereris dies agentibus captus a sacerdote, quam priore tempore amaverat, ab interitu vindicatus est, quae crematis eum vinculis effugisse sequenti die affirmabat (Paus. IV 17, 1). Idem alio modo tradebatur, Aristomenem a Lacedaemoniis captum noctu ad ignem advolutum vinculis perustis, custodibus interfectis clipeos eorum Spartam transportatas in templo Minervae *Χαλκιοίκου* suspendisse (Polyaen. II 31, 3. Plin. XI § 185).

Iterum latrocinio in fines Lacedaemoniorum facto cum quinquaginta comitibus ab iis comprehensus in altas ter-

---

1) Cf. Myronem ap. Paus. IV 6, 4 Clem. Alex coh. ad gent. 3 § 27. Euseb. praep evang. IV 16, 9.

2) Cf. Plut. Agis 21.

3) IV 6, 5 *ὁ τοίνυν Ἀρ. δόξῃ γε ἐμῇ γέγονεν ἐπὶ τοῦ πολέμου τοῦ ὑστέρου.*

raes fauce[1]) deiectus est. Omnibus sociis interemtis unus Aristomenes praesidio deorum alicuius (Paus. IV 18, 5), vel clipeo eum sublevante (Polyaen. II 31, 2) protectus post aliquantum temporis vulpecula quae exitum ei ostendit angustum fovea eductus est[2]).

Vulpes autem cum antiquitus Messeniae sit animal sacrum (Apollod. bibl. II 3, 5), manifestum fit quantam vim memoria intimo gentis animo innata habuerit.

Tertium denique in manus sagittariorum Cretensium incidit et rursus a muliere liberatus est (Paus. IV 19, 4 sqq. quo de loco iam supra dixi); aliter narrant Plinius l. l. et Valerius Maximus I 8 ext. 15, Aristomenem tertio captum a Lacedaemoniis interfectum esse.

Adiungimus tria Aristomenis sacrificia facta, quae a Messeniis *ἑκατομφόνια* vocabantur[3]). Praeter Paus. l. l. eandem rem narrant Plut. Rom. 25 quaestt. conviv. IV 1, 1 p. 660 F. Polyaenus II 31, 2 in. Quotiescumque quis bello centum interfecerat hostes Iovi Ithomatae sacrificium immolabat (Paus. l. l.), sicut et alibi Marti hoc modo sacrificabatur[4]). Nec praetereundus est locus Fulgentii, nuper ab A. Schaefero (Philolog. XXIII p. 562 sqq.) optime emendatus, quo de hecatomphoniis agit[5]). Scripsit Fulgentius,

---

1) A Lacedaemoniis *Καιάδας* (Paus. *Κεάδας*) nominatas. Suid. s. v. *εἰς δὲ τὸν καιάδαν εἰώθασιν οἱ Λάκωνες τοὺς κακούργους ῥίπτειν.*

2) Plin l. l. Simplic. in Schol. Arist. ed. Brandis fol. 108b p. 363a *ὡς ὁ παρὰ Λακεδαιμονίοις ἦν κεάδας εἰς ὃν τοὺς κατακρίτους ἐνέβαλλον . . . ὅτι γὰρ ἔχε μόγις (διέξοδον), ἐδήλωσεν ἡ ἀλώπηξ ἡ τὸν Μεσσήνιον Ἀριστομένην διεξοδεύσασα.* Paus. l. l.

3) Plut. Sept. Sap. Conviv. 16 p. 159 E *καὶ θύωμεν ἑκατομφόνια, καθάπερ φασὶ νόμον εἶναι Μεσσηνίοις.* Paus. IV 19, 3.

4) Cf. Steph. Byz. s. v. *Βίεννος· πόλις Κρήτης . . . καὶ μέχρι καὶ νῦν τὰ καλούμενα ἑκατομφόνια θύεται τῷ Ἄρει.*

5) Cf. Nonium Marcellum et Fulgentium edd. Gerlach et Roth p. 389, Mythogr. latin. ed. Staveren p. 770. s. v. quid sint nefrendi sues.

Diophantum Lacedaemonium, cuius antiquitatum libros Mythol. I 1 memorat, et Sosicratem Cretensem, qui *Κρητικά* conscripsit[1]) secutus haec a Schaefero emendata: „*Diophantus Lacedaemonius qui de Sacris deorum scripsit ait apud Ithomen (vulg. Athenas) Marti solere sacrificari sacrum quod ἑκατομφόνια appellatur: si quis enim centum hostes interfecisset, Marti de homine sacrificabat apud [insulam] Biennon*[2])*: quod sacrificatum est a duobus Cretensibus, Aristomene Gortynensi et Theoclo Elaeo*[3])*, sicut Sosicrates scribit.*" Qui fieri potuerit ut Aristomenes et Theoclus (Messeniorum vates apud Pausaniam saepius memoratus) a Sosicrate apud urbem Cretensem immolantes introducerentur, discerni vix possit, utrum Cretes illos re vera reddiderit, an ex Peloponneso transmigrasse eos licentia sane permagna narrarit. Aut enim intelligendae sunt urbes Gortyna et Elaea[4]) in Creta sitae, aut de Elide et Gortyna seu Gortye, Arcadiae oppido (cf. Paus. V 7, 1 VIII 27, 4 28, 1. E. Curtius Pelop. I 391, 4) cogitandum est. Siquidem deleto verbo „*Cretensibus*" legimus: „*quod sacrificatum est a duobus, Aristomene Gortynensi et Theoclo Eleo*", id solum offendit, quod Arcadem fecerit Aristomenem, facilius autem explicari potest, cum Aristomenes in Arcadia longius commoratus sit. Quod vero Diophantus ait apud Ithomen Marti sacrificata esse ἑκατομφόνια, cum Paus. IV 19, 3 et Clem. Alexandrinus l. l. disertis verbis Iovi Ithomatae ea esse oblata testentur, aut errasse Diophantum aut sacrificia Marti quidem, attamen in templo

1) Muelleri frg. hist. gr. IV 500.

2) Codd. praebent bleinan, blennom, blemmon etc.

3) Sic iam Hadrianus Iunius emendarat, nisi quod „*Cretensibus*" deleret. Codicum lectio haec est: „*a duobus Cretensibus et uno Locro id est Tumine Cortyniensi, Proculo Locro.*"

4) Huius urbis nomen legitur apud Plinium IV 59, ubi codd. Barbari Elaea, cod. Leidensis A Elea praebent.

Iovis immolata statuendum erit. Homines immolare cum et belli primi tempore abolitum non fuerit (Paus. IV 19, 4 sqq.), et tripodum numerus, quos oraculi iussu Iovi Messenii dicarint, fortuitus fuisse non videatur, ἑκατομφόνια olim nihil aliud fuisse concludam, nisi immolationem centum hostium captorum, qui simul summo sacrificarentur deo.

Sicuti Aristomenis res gestae ubique memoria hominum variatae et magis magisque mirae redditae sunt, universae pugnarum seriei numen deorum ac vis oraculi Delphici gubernatores quasi videntur. Dioscuri, Spartae praesides, ipsi Aristomenem a persecutione Lacedaemoniorum deterrere conantur (Paus. IV 16, 5), iidem cum Helena visis nocturnis eum quin urbem opprimat prohibent (ib. 16, 9); omnino fatum Messeniis infestum omnia ad perniciem vertit, nullo modo effugiendum (ib. 13, 1. 4 20, 3. 5 Plut. de superstit. 8 p. 168 E). Semper daemonum quis vel fatum nominatur, quotiescumque aliquid gravius incidit [1]). Tandem proditione quoque Messenii oppugnantur, cum semel Arcadum rex Aristocrates perfidia Messeniorum aciem inclinaverit (Paus. IV 17, 1 sqq. Plut. de ser. num. vind. 2 p. 548 E Callisth. ap. Polyb. IV 33), iterum dolo fugitivi Lacedaemonii Ira custodibus ob vehementem tempestatem vigilias non agentibus a Spartanis oppressa sit (Paus. IV 21).

Sed haec iam sufficiant, ut magnam rerum a Pausania traditarum partem e narrationibus Messeniorum fluxisse manifestetur. Vix dicam necesse videtur, tantum abesse ut negem Rhianum multa aut de suo adiecisse aut prorsus transmutasse, ut plane desistendum esse existimem singulas ex quibus Rhianus materiam composuerit partes stricte discernere.

---

1) Cf. Paus. III 3, 4 IV 6, 1 17, 6 18, 5. 7 20, 1 sqq. 21, 6. 10 26, 3.

III.

Tyrtaeus.

Priusquam ipsa Tyrtaei carmina adeamus, quam brevissimis verbis de persona poetae disputemus necesse est, ut de patria et aetate illius, quae a viris doctis diversissimis adhuc modis constitutae sunt, pro viribus et angustiis rerum solidum quasi fundamentum ponamus, cui aedificium tutius imponere possimus. Igitur primum de patria Tyrtaei agemus, tum scrutabimur aetatem eius, denique ad poetae carmina ipsa nos convertemus ac videbimus, num quid de iis proposito nostro aptum eruamus.

Notissimae sunt fabulosae de Tyrtaeo narrationes, quas magna ex parte fictas esse nemo erit qui hodie neget, nec tamen possumus quin breviter saltem eas perlustremus. Mirum enim est, quo modo fieri potuerit, ut fabulae illae omnino tam pertinaciter reservatae nec iam diu e vera historia depulsae sint, cum et inter veteres scriptores fuerint qui falsas eas haberent.

Quam ob rem recentiorum multi, qui eas tutari conati absurda saepe ratione versati sunt, oleum atque operam perdiderunt. Recte Osannus iudicavit (commentt. semin. phil. Giss. IV p. 11), Tyrtaei vitam non tam a veterum quam a recentiorum hominum fabulis purgandam [1]).

Diversa genera sunt narrationum a veteribus scriptoribus nobis traditarum quas ut melius perlustremus continua serie componemus.

---

1) Optime nuper de Tyrtaei patria disseruit A. Hoelbe, progr. gymnas. sanctae crucis Dresdensis 1864. Dissertationem Schwepfingeri de patria Tyrtaei in conspectum mihi non pervenisse non ita doleo cum altera commentatione eius de aetate Tyrtaei perlecta huiusmodi opusculorum desiderio non tenear.

Plenissimam fabularum narrationem praebet Pausanias IV 15, 6, ludimagistrum eum claudum et stolidum Spartanis ab Atheniensibus consiliarium esse missum. Eadem scholiasta Platonis perhibet [1]) quem plane Pausaniam secutum esse iam Hoelbius vidit (l. l. p. 7). Haud dissimilia narrat Iustinus III 5, Athenienses in contemtum Spartanorum Tyrtaeum poetam claudo pede misisse. Scholiastae ad Hor. epp. II 3, 402 ludimagistro omisso poetam non solum claudum, sed luscum etiam fecerunt [2]). Multo minus exornata tradunt Lycurg. in Leocrat. § 106 *τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν Ἑλλήνων ὅτι Τυρταῖον στρατηγὸν ἔλαβον παρὰ τῆς πόλεως;* Diodorus XV 66 *ὅτε καὶ Τυρταῖος ὁ ποιητὴς ὑπὸ Ἀθηναίων ἡγεμὼν ἐδόθη τοῖς Σπαρτιάταις.* Similia dedit Themistius or. XV p. 197 d Dind. p. 242: *Λακεδαιμονίοις τοῖς πάλαι πολέμῳ πιεζομένοις ὑπὸ Μεσσηνίων ἀνεῖλεν ὁ θεὸς συμμαχίαν αἰτεῖσθαι Ἀθήνηθεν. πρεσβευσαμένοις δὲ τοῖς Λάκωσιν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ συμμαχίαν τὴν πυθόχρηστον αἰτησομένοις οὐχ ὁπλίτας ἔδοσαν οὐδὲ ἱππέας οὐδὲ μὰ Δία ψιλοὺς ἢ γυμνῆτας, ἀλλὰ Τυρταῖον τὸν ποιητήν. . . . ἀναστῆσαι δὲ τούτους ἐπτηχότας καὶ ἀνεγεῖραι αὐτῶν τὰ φρονήματα καὶ πρὸς τὸν ἀρχαῖον ζῆλον ἀναγεῖν ἱκανὸς μὲν ἦν καὶ Τυρταῖος, ἱκανωτέρα δὲ φιλοσοφία.* — Athenis eum arcessitum tradunt Philochorus apud Strabonem VIII 362 *Φιλοχόρῳ φήσαντι Ἀθηναῖόν τε καὶ Ἀφιδναῖον,* et Callisthenes *καὶ ἄλλοι πλείονες* (ibid.) [3]).

1) Ad Plat. Legg. p. 629 A. p. 375. ed. Hermann p. 448 ed. Bekker.

2) Cf. Schol. Horat. ed. Pauly II p. 508:

Acron: Athenienses in contumeliam ipsis Tyrtaeum quendam claudum dederunt . . . Tyrt. fuit genere Atheniensis, poeta omni deformis parte membrorum.

Porphyrion: Tyrtaeum clodum et luscum quem deformem crederent.

3) Philoch. frag. 55. Callisth. frg. 10 Mueller.

Breviter tantum perstringunt rem Plato, de legg. I p. 629 A: *Τύρταιον* [1]) *τὸν φύσει μὲν Ἀθηναῖον, τῶνδε δὲ πολίτην γενόμενον*, et Aristides I p. 639 Dind. *Κίμωνος εἰς Ἰθώμην ἄφιξις καὶ Τυρταίου πρὸ Κίμωνος εἰς Σπάρταν;* denique Aelianus, var. hist. XII 50: *μετεπέμψαντό γε μὴν Τέρπανδρον καὶ Θάλητα καὶ Τυρταῖον.*

Tum qua ratione Tyrtaeus adiuverit Spartanos et quas apud eos partes egerit, discedunt inter se auctores, cum alteri carminibus ac consiliis suis excitasse eum Spartanos longo defatigatos bello narrent, alteri tradant ducem exstitisse eum in ipso bello gerendo. Illam viam persequuntur Pausanias IV 16, 2. 6 18, 3., Aelianus l. l., Scholiasta Platonis, Suidas s. v. *Τυρταῖος* [2]), Maximus Tyrius XXI p. 218 ed. Heins. (*καὶ Σπαρτιάτας ἤγειρε τὰ Τυρταίου ἔπη*), Tzetzes, Chil. IV 141, 487 (*τούτοις καὶ γὰρ ἁβρύνει Στησίχορος τοῖς μέλεσι, τοῖς ᾄσμασι Τυρταῖος*).

Spartanorum vero ducem vocant eum Diodorus l. l., Philochorus apud Athen. XIV 630 F [3]), idem cum Callisthene aliisque compluribus apud Strabonem VIII p. 362 [4]) (*δεηθέντων Λακεδαιμονίων κατὰ χρησμόν. ὃς ἐπέταττε παρ' Ἀθηναίων λαβεῖν ἡγεμόνα*), Plutarchus apophth. Lacon. p. 230 D. (*Πυνθανομένου δέ τινος, διὰ τί Τυρταῖον τὸν ποιητὴν ἐποιήσαντο πολίτην· ὅπως, ἔφη, μηδέποτε ξένος φαίνηται ἡμῶν ἡγεμών*), Tzetzes, Chil. I 26, 692 (*Τυρταῖος Λάκων στρατηγὸς καὶ ποιητὴς ὑπῆρχεν*); denique Iustinus [5]), Lycurgus, Suidas locis laudatis.

1) Omnes Platonis codices praeter unum Vaticanum Tyrtaei nomen *προπαροξύτονον* praebent, cum apud alios omnes fere scriptores *Τυρταῖος* legatur. Cf. Bach, Tyrt. fragm. p. 37. not. 1.

2) Qui duas diversas de eo habet narrationes.

3) Mueller frg. hist. I 393 *Φιλόχορος δέ φησι κρατήσαντας Λακεδαιμονίους Μεσσηνίων διὰ τὴν Τυρταίου στρατηγίαν.*

4) Ubi et verbis quidem corruptis testimonium Tyrtaei ipsius profertur: *ἡνίκα φησὶν αὐτὸς στρατηγῆσαι τὸν πόλεμον τοῖς Λακεδαιμονίοις.*

5) Et qui ex illo hausit Orosius I 21: Tyrtaeum poetam Atheniensem ducem praelio legunt. Cf. et Ampelii libr. memor. 14, 5.

Quibus perlectis primum id cuique manifestum esse oportet (ut ad tempus Athenis venisse Tyrtaeum statuamus), narratiunculis a Pausania ac similibus prolatis prorsus nullam esse habendam fidem. Etenim supervacuum onus susciperet, qui vellet demonstrare claudum et stolidum ludimagistrum non potuisse ducem belli gerendi fieri. Atqui ducem Spartanorum optimi et fidissimi veterum auctores vocant. Omnibus igitur illis posthabitis, duo alia proferam testimonia quae rem prorsus discrepantem continent.

Suidas enim s. v. haec habet: *Τυρταῖος· Ἀρχεμβρότου, Λάκων ἢ Μιλήσιος, ἐλεγειοποιὸς καὶ αὐλητής, ὃν λόγος τοῖς μέλεσι χρησάμενον παροτρῦναι Λακεδαιμονίους πολεμοῦντας Μεσσηνίοις καὶ ταύτῃ ἐπικρατεστέρους ποιῆσαι. ἔστι δὲ παλαίτατος, σύγχρονος τοῖς ζ´ κληθεῖσι σοφοῖς ἢ καὶ παλαίτερος· ἤκμαζε γοῦν κατὰ τὴν λε´ ὀλυμπιάδα. ἔγραψε πολιτείαν Λακεδαιμονίοις καὶ ὑποθήκας δι' ἐλεγείας καὶ μέλη πολεμιστήρια βίβλια ε´.* Suidae verba non solum eo quod vulgarem famam seiunxit alioque meliore fonte innisum se ostendit, sed eo quoque confirmari videntur, quod et patriae dupliciter traditum nomen et patris quod nusquam alibi exstat conservavit. Sin Milesius appellabatur noster, id nihil aliud significare potest, nisi eandem ei attributam esse patriam Ioniam quae omnino incunabula poesis elegiacae, qua excellebat Tyrtaeus, fuerat [1]).'

Lacedaemonium eum reddit Strabo loco iam saepius citato (VIII p. 362), quem integrum adponamus necesse est. *Τὴν μὲν οὖν πρώτην κατάκτησιν αὐτῶν φησι Τυρταῖος ἐν τοῖς ποιήμασι κατὰ τοὺς τῶν πατέρων πατέρας γενέσθαι· τὴν δὲ δευτέραν . . . . . ἡνίκα φησὶν αὐτὸς στρατηγῆσαι*

1) Absurdum est quod Boettigerus ait (Mus. Attic. I p. 336 kl. Schr. I p. 33) Tyrtaeum Mileto eo ipso tempore opportune Athenas profectum, quo Spartani Athenas miserint, statim cum iis abiisse.

τὸν πόλεμον τοῖς Λακεδαιμονίοις (ἐλθὼν ἐξ Ἐρινεοῦ) [1]· καὶ γάρ εἶναί φησιν ἐκεῖθεν ἐν τῇ ἐλεγείᾳ ἣν ἐπιγράφουσιν Εὐνομίαν·

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης,
Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν·
Οἷσιν ἅμα προλιπόντες Ἐρινεὸν ἠνεμόεντα,
Εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

ὥστ' ἢ ταῦτα ἠκύρωται (ἀκυρωτέον conj. C. O. Muellerus, Dor. I 152) τὰ ἐλεγεῖα ἢ Φιλοχόρῳ ἀπιστητέον τῷ φήσαντι Ἀθηναῖόν τε καὶ Ἀφιδναῖον, καὶ Καλλισθένει καὶ ἄλλοις πλείοσι τοῖς εἰποῦσιν ἐξ Ἀθηνῶν [2]) ἀφικέσθαι, δεηθέντων Λακεδαιμονίων κατὰ χρησμόν, ὃς ἐπέταττε παρ' Ἀθηναίων λαβεῖν ἡγεμόνα. Apparet Strabonem, quippe qui vulgarem famam haud nesciret, verbis ipsis poetae patriam indicatam esse existimasse tritissima de eo narratione in dubium vocata [3]).

Videamus igitur, num poeta ipse nos edocere possit, unde sit exoriundus, non frustra sicut speramus quaesituri.

In fragmentis perquirendis primum illud, supra e Strabone descriptum sese offert, quo poeta se cum Heraclidis numine Iovis Erineo alte sita relicta in planam immigrasse Peloponnesum testatur. Erineus autem est una

---

1) Verba addita e coniectura Casauboni, cf. Kramerum ad h. l. Vol. II p. 155.

2) Post Ἀθηνῶν codd. Medicei Bk (apud Kramerum) καὶ Ἀφιδνῶν habent, ab omnibus reliquis omissum.

3) Plutarchi quidem verba de Tyrtaeo obscuriora sunt, quam ex quibus certum aliquod iudicium depromere possimus. Cf. de musica 21 p. 1137 F. Ὁ αὐτὸς δὲ λόγος καὶ περὶ Τυρταίου τε τοῦ Μαντινέως καὶ Ἀνδρέα τοῦ Κορινθίου καὶ Θρασύλλου τοῦ Φλιασίου. Utrum alius hic Tyrtaeus, an idem Arcas nominatus sit, discernere non licet. Burette (Mém. de l'acad. des Inscr. XIII 283) de nostro cogitavit, R. Volkmannus in commentar. ad Plut. de mus. p. 108 fortasse in Μαντινέως latere aliquam corruptelam coniecit.

et quatuor urbibus Doriensium, quae *τετράπολις* dicebantur (Strabo IX 427), ad Oetam montem et Cephissum sitae. Quam in mente habuisse urbem poetam luce clarius est [1]). E Doride vero Heraclidas profectos esse et Strabonis sententia est [2]).

Tyrtaeum hisce versibus Doricae stirpi se annumerare integris oculis quemque visurum puto. Tum respiciendi sunt versus a Paus. IV 6, 5. Schol. ad Plat. Alc. 122 D Legg. 629 A, Strabone VI 279 traditi et ad unum carmen coniuncti apud Bergkium (Poet. lyr. Tyrt. frg. 3):

Ἡμετέρῳ βασιλῆϊ, θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ,
ὃν διὰ Μεσσήνην εἵλομεν εὐρύχορον,
Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φυτεύειν.

Quamquam pauca sunt quae e paucis fragmentis elicere possumus, tamen sufficere videntur, ut de sua patria, de suo rege, de suis maioribus tam disertis verbis neminem nisi Doriensem loqui potuisse statuamus [3]). Quodsi aliquis mihi opponet, poetae talem quoque licentiam deberi, ut cui genti ac civitati carmina patriae amore plena componat se ipsum ad tempus annumerare possit, alia argumenta in promtu sunt.

Accedit enim, quod Tyrtaeus quibusdam locis a sermone poetis Ionicis solito ita decedit, ut quemquam eorum unquam tale quid scripsisse statuere nequeamus, recte vero assignare possimus licentiam quandam poetae Dorico dialecto Ionica vel potius epica [4]) uso.

Primum spectat huc quod Tyrtaeus accusativum pri-

---

1) Nugas hac de re protulit Franckius Callin. p. 194.

2) IX 427. *ἐντεῦθεν ὁρμηθεῖσι τοῖς Ἡρακλείδαις ὑπῆρξεν ἡ εἰς Πελοπόννησον κάθοδος.*

3) Haec Thierschii quoque sententia est (Acta philol. Monacens. III p. 600); tum vero ipse in alium incidit errorem, cum omnino fuisse Tyrtaeum neget.

4) Cf. Thierschium l. l. p. 603 sqq.

mae quae dicitur declinationis in longam syllabam ας exeuntem corripit [1]), quem usum grammatici veteres solis Doribus attribuunt [2]). Multa exstant exempla apud Doricos poetas, quae omnia huc conferre longum est; nonnulla eiusmodi sunt Theocr. 1, 83. 134 4,3 21, 1 Alcman. frg. 17,5 Bgk. τροπάς Stesich. 5,2 Bgk. πᾶγάς Hesiod. theog. 60 κοῦράς 184 πᾶσάς Opera 675 δεινάς frg. 190 Göttl. Σκύθάς.

Deinde notandum, vocabuli Κρονίων paenultimam a Tyrtaeo correptam esse (frg. 1,1 Bgk. Αὐτὸς γὰρ Κρονίων), quod praeter nostrum nusquam invenitur nisi apud Pindarum Boeotium, cum omnes Ionici et omnino epici poetae, inter eos omnium summus Homerus, semper nominativi paenultimam producant [3]).

Quodsi Thierschius (l. l. p. 593) eumque secutus Hoelbius (l. l. p. 23) de patris nomine Archembroti disputaverunt, nempe ex eo quod in βροτος exeat iam Doricam stirpem effici, cum nomina in βροτος exeuntia apud Athenienses usitata non fuerint, duorum certe Atheniensium nomina in βροτος exeuntia haud diu quaerens repperi: Κλεόμβροτος Acharnensis filius Dinocratis (Plut. X. oratt. p. 843 A) et Φιλόμβροτος Atheniensis et ipse archon (Plut. Solon 14), quibus addi potest Ephesius quidam Ἱερόμβροτος (Corp. Inscr. graec. II 2953 b, 32).

Verum argumentum maximi ponderis in eo inesse puto, quod incredibile est, poetam Atticum aut omnino peregrinum aliquem offiicio et potestate inter Spartanos

1) Cf. Tyrt. frg. 5, 1 Δεσπότᾰς 2, 7 δημότᾰς.

2) Herodianus, περὶ διχρόνων in Crameri Anecd. Oxon. III p. 296, 17: τὸ ἐκτεινόμενον ᾱ ἐπὶ πληθυντικῶν αἰτιατικῶν οἱ Δωριεῖς συστέλλουσι. Reliquos grammaticorum locos collegit Ahrens, de dialecto dorica p. 172. not. 1. cf. eund. Götting. Philol. Vers. p. 68.

3) Pindarus quinquies brevi ι utitur, Pyth. III 57. IV 23 Nem. I 16. IX 28. X 76 Bgk., bis tantum longo, Pyth. I 71. Nem. IX 19.

functum esse, qua Tyrtaeum functum scimus, cum ne civis quidem fieri advena possit Lacedaemone [1]).

Clinton [2]) enim cum provocet ad Aristot. polit. II 6, 12 qui dicit: *λέγουσι δὲ ὡς ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας*, praetermittit Aristotelem famam (*λέγουσι*) tantum tradere totamque eius orationem parum esse definitam.

Nam ut de meris fabulis taceamus, narrationes a scriptoribus melioribus traditae ostendunt, Tyrtaeum Spartae et legibus constituendis et animis ad bellandum excitandis (unde vel *στρατηγὸς* dici poterat) operam dedisse; illum civitati in summo discrimine versanti salutem attulisse omnes uno ore consentiunt.

Hoc et Pausanias docet qui ceteris ubi de eo agit locis prorsus aliis verbis utitur quam loco quem supra memoravimus. Cf. IV 16, 2. 6. 18, 3. Quorum posteriores duos alio de fonte haustos puto cum uterque orationem reliquam quodammodo interrumpat. Rhianus quidem utrum Tyrtaeum nominaverit necne in medio relinquere oportet. Postquam iam tempore primi belli tumultus civiles Spartae orti sunt, quos Theopompus et Polydorus, victis Messeniis, novis legibus cohibere conati sunt (Plut. Lyc. 6), Partheniorum quoque coniurationi emigratione illorum fine imposito (Arist. Pol. V 7 Antiochus et Ephorus apud Strab. VI 278 sq.), secundo bello denuo dissensiones civiles excitatae sunt de re agraria (Arist. Pol. V 6, 2 *θλιβόμενοι γάρ τινες διὰ τὸν πόλεμον ἠξίουν ἀνάδαστον ποιεῖν τὴν χώραν*. Paus. IV 18, 3) et frumenti inopia, ad quas moderandas Tyrtaeus plurimum contulit. (Paus. l. l. *καὶ τούτοις μὲν τὰ διάφορα διέλυε Τυρταῖος*). *Εὐνομία* carmen

1) Cf. quae Herod. IX 35 de Tisameno et Hegia, oraculi iussu civibus factis, anno a. C. 479 dicit: *μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι Σπαρτιήτῃσι πολιῆται.*

2) Fasti Hellenici I p. 183.

eius nihil aliud fuit, nisi renovatio et confirmatio legum a Theopompo iam latarum, quibus civitati formam prorsus aristocraticam imprimeret (cf. frg. 2 Bgk. ubi populo species tantum libertatis relinquitur, et frg. 3 ubi Theopompum laudibus effert). Hoc vult etiam Suidas, cum dicat: *ἔγραψε πολιτείαν τοῖς Λακεδαιμονίοις.* Quae cum magis ad interiorem rei publicae spectent condicionem, iuvenum animis ad virtutem educandis omnimodo incumbebat non solum carminibus militaribus componendis, quae anapaestico metro [1]) conscripta progredientibus aptissima erant, verum sententiis etiam brevioribus elegiaco metro inclusis fortitudinem impavidam et mortem pro patria celebrantibus. Quae, apud Suidam *ὑποθῆκαι* nominatae, a pueris ediscebantur et usque ad posteriora tempora plurimi aestimabantur [2]). Universa enim haec carmina didascalica erant, sicut Athenis Theognidis sententiae eodem modo tractabantur [3]). Quod efficiunt Lycurgi verba (in Leocr. § 106 sq.): *(αὐτῷ) καὶ τὴν περὶ τοὺς νέους ἐπιμέλειαν συνετάξαντο, οὐ μόνον εἰς τὸν παρόντα κίνδυνον ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα βουλευσάμενοι καλῶς. κατέλιπε γὰρ αὐτοῖς ἐλεγεῖα ποιήσας ὧν ἀκούοντες παιδεύονται πρὸς ἀνδρείαν.*

Quae cum ita sint gnomologi quidem, quibus Tyrtaeus adnumerandus, certa quadam vocis notione praeceptores seu *διδάσκαλοι* appellari poterant; nec mirum saepissime eos sententiasque eorum ad risum et ludibrium esse vocatos. „*Gravitas enim,*“ ut Welckeri (l. l. p. 80) verbis utar „*facillime provocat ludibrium et morum prae-*

---

1) Quod metrum Messeniacum appellat Mar. Victorinus II p. 2522 Putsch.

2) Cf. verba Leonidae apud Plut. Cleom. 2 *Λεωνίδαν . . . λέγουσιν ἐπερωτηθέντα, ποῖός τις αὐτῷ φαίνεται ποιητὴς γεγονέναι Τυρταῖος, εἰπεῖν· »Ἀγαθὸς νέων ψυχὰς κακκανῆν.«* cf. Apophth. Lacon. p. 235 E Plato de legg. I 629 Lyc. in Leocr. 107.

3) Cf. Welckeri praef. ad Theogn. p. 79 sq.

cepta si cui taediosa veniunt non serio oppugnando sed cavillorum facetiis declinari vel procaciter propelli solent." Quod plurimum a comoediarum scriptoribus usitatum esse consentaneum est [1]). Nec desunt exempla quibus alios et poetas et philosophos ludimagistros vocatos esse constat. Nonnulla eorum proferre liceat [2]).

Talia traduntur de Phemio qui Homeri matrem in matrimonium duxisse dicitur: *ἦν δέ τις ἐν Σμύρνῃ τοῦτον τὸν χρόνον Φήμιος τοὔνομα, παῖδας γράμματα καὶ τὴν ἄλλην μουσικὴν διδάσκων πᾶσαν.* (Vit. Hom. 4. Westerm. biogr. p. 2, cf. Ephorum apud Pseud. Plut. vit. Hom. 2 Westerm. 21. frg. 164 Mueller); de Homero ipso: *χρόνου δὲ ἐπιγενομένου ἀνδρούμενος οὐδὲν τοῦ Φημίου ὑποδεέστερος ἦν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ* (ib. 5. West. p. 3); *ἀπίκετο εἰς τὴν πόλιν καὶ διδασκαλεῖον κατασκευασάμενος ἐδίδασκε παῖδας τὰ ἔπεα* (ib. 25 West. p. 13). Cf. Westerm. biogr. gr. min. p. 3, 51. 62. 66. 12, 315 sqq. 18, 471 sqq. 34, 15 sq. De Thestoride qui Homeri carmina quaedam furatus pro suis edidisse fertur idem traditur, cf. Westerm. p. 8, 185 sqq. 206. 213 sqq. Protagoram Epicurus cavillans ludimagistrum appellabat vicanum (Athen. VIII p. 354 C *ὁ Ἐπίκουρος καὶ Πρωταγόραν φησὶ . . . διδάσκειν ἐν κώμῃ τινὶ γράμματα ἀφ' ὧν ἐπὶ τὸ σοφιστεύειν ὁρμῆσαι.*) Cui narratiunculae ansam fortasse praebuit Protagorae illud dictum apud Plat. Protag. p. 316 D *ὁμολογῶ τε σοφιστὴς εἶναι καὶ παιδεύειν ἀνθρώπους.*

Invicem de Epicuro Timon sillographus haec perhibuit (Athen. XIII 588 B): *γραμμοδιδασκαλίδην ἀναγωγότατον ζωόντων.* cf. Diog. Laert. X 2, 2. 3. Linus qui educasse Herculem puerum dicebatur *γράμματα μὲν τὸν παῖδα*

---

1) Parodiarum exempla exstant complura. cf. Athen. VIII p. 364 A sq. Phrynich. ed. Lobeck p. 91 *ἔστι μὲν ἠπήσασθαι ἅπαξ παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Δαιταλεῦσι, παίζοντι τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας.*

2) Cf. Hoelbium l. l. p. 10 Heckerum, Philolog. V 452.

γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν (Theocrit. 24, 103). De Marsya historico dicit Suidas: Οὗτος ἦν πρότερον γραμματοδιδάσκαλος [1]).

Ita Tyrtaeus ludimagister reddi potuit. Quodsi claudum eum finxerunt alii, alii deformem et dementem, cavillatio etiam clarior fit, ac parum probabilis videtur sententia Thierschii (l. l. 594) [2]), eo carminum genus quo inclaruerit non inconcinne significari, ipsam enim elegiam ob pentametrum qui hexametri numero duobus in pedibus fracto originem habuerit claudam esse et pede claudo incedere dictam esse.

Sed ut hasce fabulas plane aspernemur, restat nunc ut quomodo omnino Tyrtaeus Atheniensis reddi potuerit demonstremus.

Notissimum quidem est, bello tertio, quod dicitur, Messeniaco exorto Lacedaemonios in ultimo discrimine versantes auxilium ab Atheniensibus petivisse, quorum auxilii egerent praecipue ut acrius Ithomen obsiderent, cuius rei illi peritiores essent (Thuc. I 102). Athenienses Cimonis consilium secuti (Plut. Cim. 16) eundem cum quatuor milibus hoplitarum (Arist. Lys. 1143) in Messeniam misere Ol. $79^3/_4 = 461$ a. C. [3]) atque etiamsi expugnatione non perfecta invidia dimissi Spartanorum reversi sunt, non minimum tamen ad conservandam civitatem Laconicam contulere.

Cuius rei memoribus et perfidia irritatis oratores demagogici et panegyristae antiquissimis iam temporibus auxilium et salutem Lacedaemoniis ab Atheniensibus lata esse praedicabant ac tum tales fuisse Atheniensium vires ut ne exercitu quidem opus fuisset sed uno tantum viro. Rationis qua utebantur exemplum Ly-

1) Cf. Muellerum, Scriptt. rerum Alex. p. 40.

2) Quam Duncker, Gesch. des Alterth. III p. 507 not. ed. II secutus est.

3) Cf. Schaeferum, de rebus post bell. Pers. tempp. p 17.

curgus praebet l. l., qui loquitur ac si nulla omnino statui posset dubitatio: *Τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν Ἑλλήνων κτλ.* Iniuria plerique recentiores ad hunc Lycurgi locum provocant, cum hac in re nihil intercedat inter eum aliosque oratores et panegyristas. Populus autem Athenarum quam libenter deceptus sit et quae ad deducendum eum in partes adhibitae sint adulationes praetermittere possum.

Deinde tenendum est, antiquissimorum temporum cognitionem accuratiorem paucissimis fuisse tunc et quod unus orator populo probasset libenter ab altero assumptum esse. Quo factum est ut iam quarto a. C. seculo fabulam de Tyrtaei patria firmatam Plato demonstret, qui dicit (de legg. I 629 A): *Τύρταιον τὸν φύσει μὲν Ἀθηναῖον, τῶνδε δὲ πολίτην γενόμενον* [1]).

Accedunt et scriptores Atthidum qui quae ad celebrandam Athenarum gloriam tradebantur a libellis suis non removerint. Hos de Tyrtaeo fabellas tradidisse, apparet ex loco Strabonis (VIII p. 362) iam saepius laudato, quo clarissimus omnium qui atthides scripserunt Philochorus [2]) ac praeterea Callisthenes compluresque alii in testimonium vocantur. Philochori Atthidem ab antiquissimis temporibus usque ad Ol. 129 (261 a. C.) ductam esse cum sciamus [3]), annalium ratione, ita ut prioribus seculis ad reges et archontes, postea ad singulos annos res gestae conscriptae sint: Boeckhius [4]) libris quibus constabat septemdecim fragmenta quoad fieri poterat disposuit. Cui narrationem nostram de Tyrtaeo initium tertii fuisse libri visum est [5]).

---

1) Cf. Plut. apophth. lacon. p. 230 D.

2) Philochorus Tyrtaeum ducem Spartanum fecerat, cf. Athen. XIV 630 F.

3) Teste Suida s, v. *Φιλόχορος*.

4) Cf. Boeckh, de Philochori atthide, Abhandlungen der Berl. Acad. 1832. p, 6.

5) Ibid. p. 12. Muellerus, hist. frag. I 393.

Quamvis periculosum videatur scriptori, cuius de diligentia et fide omnes fere veteres consentiunt[1]) fabulas assignare, hoc tamen facilius videtur cum de bellis Messeniacis vix certi et acurati ei adfuerint fontes, multa saltem e vetustiorum atthidum scriptorum voluminibus assumpserit. Callisthenem vero, qui quarto Ἑλληνικῶν libro ad Ol. 102, 3 de Messeniis egisse videtur[2]) historiam rhetorico paene more scripsisse Cicero[3]) testatur.

Quid igitur mirum quod et sermone hominum et scriptorum indigenarum voluminibus fabula illa et fallacia mox ut vera tradebatur historia.

At patriae a Philochoro ei attributae nomen alicuius momenti est, qui non solum Atheniensem sed Aphidnaeum quoque eum vocabat. (Strabo VIII 362). Etenim cum e Steph. Byz. s. v. Ἄφιδνα[4]) in Laconica oppidum vel pagum huius nominis exstitisse doceamur, si ex illo pago oriundum fuisse Tyrtaeum statuere licet[5]), tota res clarior fit. Tum ex Aphidnaeo Laconico Atticus Aphidnaeus aut inscientia aut fraude fieri potuit, cum et ea similitudo inter haec oppida intercedat, quod utrumque cum Dioscuris et Leucippidis eorumque cultu arte coniunctum fuerit. Quod ut incertum in medio relinquimus. Id nunc apparere spero, Tyrtaeum indigenam Lacedaemonium esse habendum. Thierschius[6]), qui omnino exstitisse Tyrtaeum negat, carmina ab eo abiudicavit eam ob causam, *„quod ne levissimum quidem hostium contra quos tunc temporis de-*

---

1) Testimonia collegerunt Siebelis, fragm. Philoch. p. 5. Mueller I praef. p. LXXXVIII.

2) Cf. Callisth. frg. 10 Muell.

3) De Orat. II § 58.

4) *ἔστι καὶ τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν ἦσαν αἱ Λευκίππιδες Φοίβη καὶ Ἱλάειρα.*

5) Cf. Bursianum in Paulyi Encycl. I 1 p. 1235.

6) l. l. p 645. Gravem eius dubitationem vocat Bernhardy, griech. Litergesch. II 1, 436 sq. (ed. II).

pugnaretur indicium continerent" (p. 642). Quasi pauca nobis servata fragmenta nominibus aut rebus gestis enumerandis referta esse deberent!

Nec tamen desunt mentiones primi quidem belli priorumque rationum Laconicarum cf. frg. 3. 4. 5 Bgk. Maxime autem obstat Thierschio Eustratius ad Arist eth. nicom. III 8, 5 [1]): *τοῦτο περὶ Λακεδαιμονίων λέγοιτ' ἄν· τοιαύτην γάρ τινα μάχην ὅτε πρὸς Μεσσηνίους ἐμαχέσαντο ἐπολέμουν, ἧς καὶ ὁ Τυρταῖος μνημονεύει.* Veri simillimum est ad pugnam ad magnam fossam (Paus. IV 17, 2) referenda esse verba.

Sed iam tempus transeundi ad quaerendam cui attribuendus sit Tyrtaeus aetati. Qua de re pauca hic tantum dicam, quippe quae in quaestionem infra agitandam de chronologicis bellorum rationibus cadat. Aequalem autem belli secundi fuisse poetam cum ex aliis tum ex Ephoro [2]) constat. Satis habeas singulas de aetate eius sententias componi.

Eusebius ad Ol. 37, 1 (632 a. C.): Timaeus Atheniensis cognoscebatur.

Hieronymus ad Ol. 36, 4 (633 a. C.): Myrthaeus Atheniensis poeta agnoscitur.

Syncellus II p. 403 Dind.: *Μυρταῖος Ἀθηναῖος ποιητὴς ἐγνωρίζετο* [3]).

Quibuscum consentit Suidas s. v. *Τυρταῖος*: *ἤκμαζε γοῦν κατὰ τὴν λέ ὀλυμπιάδα*, i. e. 640 a. C.; nec multo discrepat Iustinus III 5 qui sub Ol. 35 Spartam venisse eum apud Trogum legisse videtur. E Diodori quoque libro octavo exstant duo fragmenta (frg. 35. 36 Bekk.) de

1) Ed. Zell. II p. 102. Verba Aristotelis ad quae spectat Eustratius haec sunt: *καὶ οἱ πρὸ τῶν τάφρων καὶ τῶν τοιούτων παρατάττοντες.*

2) Strabo VIII 362 *ἐπὶ μὲν οὖν τοῦ Τυρταίου ὁ δεύτερος ὑπῆρξε πόλεμος.*

3) Manifestum est tribus hisce locis nomen Tyrtaei corruptum esse.

Tyrtaeo, ubi narrat auctor Athenis missum esse eum inter res gestas quae post Ol. 26, 4 cadunt [1]); quo fit verisimile Diodorum quoque Tyrtaeum eidem fere attribuisse tempori cui Eusebius ac ceteri annumerarint. Diodorus cum Eratosthene et Apollodoro uti soleat, probabile illos ipsos Tyrtaeum in Ol. 35 vel 36 collocasse [2]).

Pausanias contra adventum eius quem post praelium apud Deras primo belli anno commissum narrat sub annum 684 constituisse videtur. cf. Paus. IV. 15, 4. 6.

Diversitas auctoritatum tolli non potest quo modo Bachius conatus est (l. l. p. 48), ceteros qui Tyrtaei ἀκμὴν collocent in Ol. 35 cum illa fortasse mortem confudisse ratus, cuius nullam uspiam quo tempore obtigerit factam esse mentionem. Huiusmodi explicationes nihil valent.

Ad postremam iam quaestionis huius partem transeamus, ut quantum Pausanias debeat Tyrtaeo perscrutemur. Quam breviter absolvere licet. Quater omnino Pausanias ad poetam nostrum provocat: IV 6, 5 13, 6 14, 5 15, 2. Primo et ultimo loco verbis Tyrtaei ceteros suos auctores refutat, illo Myronem, quia Theopompum primo bello ab Aristomene interfectum esse tradiderit, cum Tyrtaeus vivente adhuc rege Messeniam subactam esse cecinerit; hoc Rhianum, quod Leotychidem belli secundi tempore Lacedaemoniorum regem fuisse falso statuerit, quippe qui seculo a Theopompo nono vixerit, cum verbis Tyrtaei insit recta ratio temporum, tertio a primo bello seculo secundum coeptum esse. De spatio etiam viginti annorum quod primum habuerit bellum, Tyrtaeum testem profert (12, 6). Denique quibus calamitatibus Messenii bello ad finem perducto perstricti sint Pausanias quae de hac re verba fecerat Tyrtaeus narrationi suae innexuit. (14, 5).

---

1) Krebsius, Lectt. Diodoreae p. 255 sq.

2) Krebsius l. l. p. 260.

IV.

Messeniacis suis conscribendis fontes quos adhibuerit Pausanias cum adhuc indagare et indicare conati simus, ad ultimam quaestionem pervenimus, ut unde rationes suas chronologicas hauserit auctor demonstremus.

Quod ad primi belli tempora attinet, Pausanias certis numeris annos et initii et exitus indicat (IV 5, 10 13, 7), non solum olympiadibus appositis, sed etiam archontum Atheniensium annis. Olympionicarum catalogum Pausanias bene novit ac saepius memorat (III 21, 1 VI 2, 3. 10)[1]. In archontibus constituendis aliam computationem sequitur quam Eusebius et Dionysius Halicarnassensis. Pausanias enim bellum primum initium cepisse dicit quinto anno Aesimidis archontis decennalis secundi, ita ut primum Charopis, primi archontum decennalium, annum in Ol. 5, 4 (757) ponat; Eusebius contra et Dionysius[2]) qui principium decennalis imperii in Ol. 7, 1 (752) ponunt, primum belli annum primum quoque Aesimidis fuisse tradunt. Idem fit in anno belli postremo Ol. 14, 1 (724), quem Pausanias quartum Hippomenis fuisse constituit, cum Eusebius primum eius archontis annum ad Ol. 14, 3 (722) demum perhibeat. Manifestum est, Pausaniam archontes decennales quinque annis prius quam Eusebium posuisse[3]). Praeter has tabulas Pausanias catalogum quoque regum Lacedaemoniorum exscripsisse videtur, cum integram ambarum domuum seriem memoriae tradat, Agiadarum III 2, 1—6, 9

1) Semel a victorum tabula, quam Sex. Iulius Africanus servavit discedit, Ol. IX victorem Xenodocum vocans (IV 5, 10), cum illic Xenocles nominetur. (Sex. Iulii Africani ὀλυμπιάδων ἀναγραφή ed. Rutgers s. a.). Cf. Koenig, de fide Pausaniae p. 10 sq.

2) Antiquit. rom. I 71. 75.

3) Cf. Fischeri tabb. graec. chronol. p. 85.

et Proclidarum 7, 1—10, 5, ac libro nostro quoque saepius ad eam provocet.

Duos praecipuos fastos antiquissimorum temporum Graecorum exstitisse scimus, alteros Atticos, Laconicos alteros, quos post Herodoti tempora compositos esse verisimile fit, quippe qui computum suum de priscis temporibus Lydorum seculis regum fulciat nullamque faciat mentionem nec laconicorum nec atticorum fastorum.

Sicut Hellanicus primus Attico temporum systemate usus est, ita Ctesias Laconico, cui res gestas Asiaticas accommodabat. Fastos regum Laconicorum haud ante annum 500 a. C. compositos Brandis [1]) recte monuit, quo tempore et Olympionicarum conscriptus sit catalogus. Differunt inter se fasti illi eo, quod Troiae excidium, ex quo omnis temporum computatio pendebat, secundum aeram Atticam A⁰ 1209 secundum Laconicum A⁰ 1183 attribuebatur.

Alexandrini grammatici qui in constituendis temporibus quoque summum collocarunt studium, computis suis aeram Laconicam fundamentum quasi posuerunt, attamen duplici ratione [2]), cum Eratosthenes et Apollodorus quidem ipsum illum annum 1183 retinerent, initio igitur expeditionis Troianae anno 1193 assignato, Sosibius contra aliam sequeretur computationem, duodecim ab illis discrepans annis. De quo grammatico pauca priusquam progrediamur dicenda erunt [3]). Fuit ille, teste Suida s. v. *Σωσίβιος, Λάκων γραμματικὸς τῶν ἐπιλυτικῶν καλουμένων*, et

1) In commentatione de temporum graecorum antiquissimorum rationibus, Bonn. 1857 edita.

2) Num enim Thrasyllus Mendesius, qui Heraclidarum reditum decem annis prius quam Eratosthenes posuerat (cf. frg. 3 Mueller) rerum graecarum chronica scripserit incertum est. Cf. Mueller, frg. hist. gr. III p. 503 sq.

3) Cf. Mueller, frg. hist. II 625 sq. fragm. chronolog. p. 133 sq.

vixit Alexandriae tempore Ptolemaei Philadelphi, Callimachi aequalis, qui in eum ἐπίνικον ἐλεγειακὸν composuit [1]). Praeter nonnulla scripta grammatica (inter quae fuisse traduntur libri περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν, quorum fragmenta collegit Muellerus, frg. hist. II 626 sqq.) ad nostrum propositum pertinet de temporum ratione, χρόνων ἀναγραφή, cuius quo rariora fragmenta eo maioris momenti sunt [2]). Quibus efficitur haec temporum ratio:

Expeditio Troiana 1181
Excidium Troiae 1171 (395 annis ante 776 Censorin l. l.)
(Heraclidarum reditus 1091)
Charilai annus I 873 [3])
annus VIII 866 quo Homerus vixit (90 annis ante 776 Clem. Alex. l. l.)
annus LXIV 810 (Clem. Alex.)
Nicandri annus I 809
annus XXXIV 776 Ol. 1 (Clem. Alex.)
annus XXXIX 771 (idem)
(Theopompi annus I 770)
Carneorum institutio 676 Ol. 26 (Athen. l. l.)

Secundum Eratosthenem vero et Apollodorum ne totam tabulam iteremus, anni regum Lacedaemoniorum ita constituti sunt [4]):

Charilai annus I 884
annus LX 825
Nicandri annus I 824
annus XXXIV 791
annus XXXIX 786

---

1) Cf. Athen. IV 144 E XI 493 E.

2) Exstant apud Censorinum de die nat. 21. Clem. Alex. Strom. I p. 327 C (ed. Sylb. 1688), Athen. XIV p. 635 F.

3) Muellerus qui Charilao tantum annos LXIII tribuit initium regni in a. 872 ponit.

4) Cf. Brandis l. l. p. 27. Mueller, frg. chronol. p. 135.

Theopompi annus I 785
annus X 776 Ol. 1.
annus XLVII 739.

Videmus, discrepantiam duarum tabularum, quae in constituenda aera Troiana annos duodecim annos amplectebatur, iam quindecim annos explere, eo quod regno Charilai diversi annorum numeri tribuuntur.

Conversis ad Pausaniam ut qua computandi ratione usus sit quaeramus nobis statim apparet, eum Eratosthenem et Apollodorum secutum non esse. Theopompus enim apud illos a. 785—739 regnavit, cum Pausanias tradat usque ad a. 724, i. e. finem belli primi, eum vixisse.

Alia vero regis apud auctorem eundem commemoratione efficitur, ut aliquot etiam annos ultra belli finem eum deducere necesse sit. Traditur enim a Pausania III 7, 5: *Θεοπόμπου δὲ ἔτι ἔχοντος τὴν ἀρχὴν ἐν Σπάρτῃ γίνεται καὶ ὁ περὶ τῆς Θυρεάτιδος καλουμένης χώρας Λακεδαιμονίοις ἀγὼν πρὸς Ἀργείους. Θεόπομπος δὲ αὐτὸς οὐ μετέσχε τοῦ ἔργου γήρᾳ καὶ ὑπὸ λύπης τὸ πλέον* [1]). Quae pugna a chronographis sic constituitur: Eusebius ad Ol. 15, 3 (718): Argivorum et Lacedaemoniorum bellum in Thyrea; Hieronymus duobus annis ante ponit; Solinus 7, 9 p. 62 ed. Mommsen: „*Anthia et Cardamyle, ubi quondam fuere Thyrae, nunc locus dicitur, in quo anno septimo decimo regni Romuli inter Laconas et Argivos memorabile fuit bellum.*“ Hic annus fuit 735 a. C., cum Solinus Catonianam aeram sequatur [2]), quo eum prorsus a Pausania discrepare apparet. Verumtamen si Solinum Eratosthenem et Apollodorum citasse reputamus (cf. I 27 p. 11 Momms. praef. p. XVI), atque hos chronographos

1) Egit hac de re Unger, Philolog. XXIII p. 38 sqq. cf. C. F. Hermann, Altenb. Philol. Versamml. p. 46.

2) Cf. Mommsenii praefat. p. XV.

in temporibus Theopompi constituendis quindecim a Sosibio annis discedere, valde probabile videtur, Pausaniam Sosibium secutum, qui bellum in Thyrea gestum anno 720 tribueret, omnino ad historias Laconicas et Messeniacas illius aerae se applicuisse. Cum anno 720 Eusebius et Hieronymus bene consentiunt. Si Theopompum paulo post praelium illud mortuum esse statuimus, regni eius tempus ad quinquaginta annos a Sosibio productum non miramur.

Iam concludere licebit Pausaniam in constituendis belli primi temporibus e Sosibio hausisse, cum rationem eius Eratosthenicae certe aerae prorsus non convenire viderimus.

Aliam quidem viam ingressus est Pausanias in constituendo bello altero Messeniaco, quod inde ab Ol. 23, 4 (685) usque ad Ol. 28, 1 (668) gestum esse tradit (IV 15, 1 23, 4). Iterum in archontum, qui iam tunc fuerint annui, annis distat ab aliis chronographis qui initium eorum anno 683 (Ol. 24, 2) demum tribuebant[1]; ac cum Tlesiam anno 685 officio functum esse scripserit, quatuor ab iis distat annis, qui Tlesiam tertium archontum annuorum anno 681 annumerent.

Quomodo Pausanias huic alteri bello fines posuerit facile est ad intelligendum. Reputanti verba eius (IV 15, 2. 3) manifestum erit, sibi ipsum rationem constituisse. Testem appellat Tyrtaeum, de cuius verbis etiamsi regum Spartanorum qui bellum gessissent nomina non praeberent repeti tamen posse, tertio a primo bello alterum incepisse seculo. Verba poetae utrum recte intellexerit necne infra disputandum erit: iam patet, defuisse ei certam chronologicam rationem. Nam cum tertium Lacedaemoniorum genus secundum gessisse bellum persuasum sibi haberet ad tabulam regum conversus ex ea tertio uniuscuiusque domus rege excerpto hos belli duces posuit.

1) Cf. Fischeri tabb. tempp. graec. p. 84.

Quod ipse indicat IV 15, 3: *ἀποδείκνυσί τε τοῦ χρόνου τὸ συνεχὲς βασιλεύοντας τηνικαῦτα ἐν Σπάρτῃ κτλ.*[1]). Sosibius utrum bellum alterum omiserit (quod verisimile non est) an posterioribus annis attribuerit, equidem non discernam, Pausanias profecto se ad Tyrtaeum non applicuisset, si comprobatam sibi habuisset computationem Sosibii.

Temporis quidem spatium secundi belli non de suo adiecit Pausanias sed diserte ad Rhianum provocat in tempore obsidionis ponendo (17, 11): *δηλοῖ καὶ τάδε ἔπεα Ῥιανοῦ*, unde et alios auctores habuisse eum coniicias, cum dixerit *καὶ τάδε κτλ.* Tum negligentia scriptoris factum est ut septemdecim bello ab eo attributi anni non concordent cum numero ex singulis rebus gestis effecto. Quod ut clarius fiat componemus facta praecipua totius belli.

Ol. 23, 4	685 a. C.	Initium belli Paus. IV 15, 1.
24, 1	684	Praelium apud Deras *ἔτει πρώτῳ μετὰ τὴν ἀπόστασιν.* id. 15, 4.
24, 2	683	Pugna ad Apri signum, *ἐνιαυτῷ ὕστερον τοῦ περὶ τὰς Δέρας ἀγῶνος.* id. 15, 7.
24, 3	682	Praelium ad Fossam magnam, *τρίτῳ ἔτει τοῦ πολέμου.* id. 17, 2. Messenii Iram se recipiunt. ib. § 10.
24, 3—27, 2	682—671	Oppugnatio Irae per undecim annos. *ἐνδεκάτῳ ἔτει τῆς πολιορκίας τήν τε Εἶραν ἐπέπρωτο ἁλῶναι.* 20, 1 Ira capitur. id. 20, 5—21, 12.
28, 1	668	Finis belli secundi. 23, 4.

Distantiam trium annorum ex negligentia Pausaniae in enarrandis singulis factis quam ex errore in consti-

1) Quocum cf. III 3, 4. 7, 6.

tuenda tota temporum ratione deducere malim, praesertim cum, Tyrtaeo apud Pausaniam post praelium ad Deras arcessito, Iustinus [1]) contra tradat eum tres post clades Spartanorum venisse. Ponendum mihi videtur, Pausaniam nonnullas pugnas earumque annos omisisse. Fortasse pugna ad fossam magnam, quam obsidio Irae statim secuta est, anno sexto cum Clintone (fast. Hell. I 256) et Fischero (l. l. p. 85) attribuenda erit.

Nihil valet, quod Suidas s. v. *Τυρταῖος* [2]) viginti annos secundo assignat bello, qui primum cum altero confudit.

Quod denique Pausanias Aristomenem aequalem fecit Ardyi Lydorum et Phraorti Medorum regibus (24, 2), chronographum aliquem secutus erit nisi forte ipsum Rhianum. Namque et aliter annorum tabulas ita compositas scimus ut res gestae Europae et Asiae compararentur. Terpander quoque Midae regis Phrygiae aequalis dicebatur apud Clem. Alex. Strom. I p. 333 A: *καὶ Τέρπανδρον ἀρχαΐζουσί τινες· Ἑλλάνικος* (frg. 123 Mueller) *γοῦν τοῦτον ἱστορεῖ κατὰ Μίδαν γεγονέναι.* Hellanicus quidem, qui Terpandrum primum in ludis Carneis vicisse tradiderat [3]), aliam computationem sequebatur quam Sosibius, qui Carneos ludos Ol. 26 demum institutos scripsit [4]). Distabant eorum computi XXXVIII annis [5]), atque ita fieri potuit, ut idem poeta, quem alter a. 676 vicisse tradidit, regno vero Midae [6]) vixisse alter, diversissimis temporibus assignaretur.

---

1) III 5, 6. cf. Orosium I 21.

2) *ὃς ἐπ' ἀρετὴν αὐτοὺς παρακαλῶν εἷλε τῷ κ' ἔτει τὴν Μεσσήνην.* Eodem modo fortasse est enodandus locus Plutarchi, de sera num. vind. p. 548 F, qui ultra viginti annos delituisse proditionem Aristocratis dicit.

3) Athen. XIV 635 E.

4) Id. p. 635 F. Mueller, frg. hist. II 626. cf. supra p. 48.

5) Hellanico Troiae excidium a. 1209, Sosibio a. 1171 collocante.

6) Quod ab Eusebio Ol. 10, 3—21, 2 (738—695) collocatur.

Reliquum est ut verbo tantum tangam locum Pausaniae tritissimum de Anaxilao tyranno Rhegino (IV 23, 6 sqq.), de quo planius disserere non meum est, cum toti huic quaestioni abunde satisfactum sit ab illustri Bentleio [1]). Aliud vero reputandum est. Fontem quem Pausanias hac in re descripserit fortasse hoc modo coniectura consequemur.

Rhianum Leotychidem in bello secundo posuisse e Pausania (IV 15, 2) scimus, qui circa tempora demum pugnae Marathoniae rex factus est; Anaxilaum contra constat annis 494—476 a. C. regnasse (Diod. XI 48) [2]) quem Pausanias Ol. 29 (664) assignavit; ita ut utrobique idem tempus falso positum appareat, cum et Leotychides a Rhiano et Anaxilaus a Pausania priori quam qua vixerint aetati ascribantur. Nonne verisimile est errores eodem ex fonte fluxisse? Puto enim, Rhianum et Leotychidis, quod constat, et Anaxilai tempora parum accurate constituisse, et Pausaniam, etsi in Leotychide contradixerit, ubi meliores haberet fontes, in Anaxilao tamen in sententiam transiisse. Quod ne audacius videatur, addendum est, quod e Strabone [3]) quatuor omnino bella Messeniaca gesta esse docemur, quorum quartum vulgo tertium vocatur, annis 464—455 gestum, quo Messenii prorsus deleti sunt. Tertium quidem bellum nuspiam aliter memoratur, nisi quod Plato nobis indicium praebet (de Legg. III 698 E): *οὗτοι (οἱ Λακεδαιμόνιοι) δὲ ὑπό τε τοῦ πρὸς Μεσσήνην ὄντος τότε πολέμου καὶ εἰ δή τι διεκώλυεν ἄλλο αὐτούς, οὐ γὰρ ἴσμεν λεγόμενον, ὕστερον δ' οὖν ἀφίκοντο τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης*

---

1) Dissertations on the epistles of Phalaris etc. interpretatus est W. Ribbeck p. 192 sqq.

2) Cf. Clintonis fast. Hell. II 32.

3) VIII 362 *τρίτον δὲ καὶ τέταρτον συστῆναί* (sc. *πόλεμον*) *φασιν, ἐν ᾧ κατελύθησαν οἱ Μεσσήνιοι.*

γενομένης μιᾷ ἡμέρᾳ[1]). Etiamsi bellum hoc vel potius seditionem Messeniorum veram cunctationis Spartanorum causam fuisse non affirmem, id tamen efficitur verbis Platonis sub illud tempus novos subactorum tumultus excitatos esse. Iam cum tempore tertii huius belli et Leotychides et Anaxilaus imperium tractarent, Rhianus tertium cum secundo confundens bello Leotychidem et Messeniorum ad Anaxilaum migrationem carmini innectere poterat. Attamen his coniecturis, quae ad certum finem duci nequeant, omissis ad ultimam propositi nostri partem transgrediamur necesse est, ut de chronologicis bellorum Messeniacorum rationibus, quomodo probabilius constitui possint, universe agamus.

---

1) Cf. Clintonis fast. Hell. I 257. Barthelemy, le voyage du jeune Anacharsis IV p. 525.

Caput II.

De constituendis bellorum Messeniacorum temporibus.

Tota haec quaestio ut claris et firmis fundamentis imponatur, primum brevi conspectu Pausaniae chronologiam, unde exeundum nobis erit, componemus.

Ol.	a. C.	
4	764	Polychares Olympia vincit. cf. Paus. IV 4, 5. Sex. Iul. Afric. s. a.
9, 2	743	Amphiae expugnatio, initium belli primi ib. 5, 10.
10, 2	$7^{40}/_{39}$	Dubia pugnatur victoria, *τετάρτῳ ἔτει μετὰ τῆς Ἀμφείας τὴν ἅλωσιν*. ib. 7, 3.
10, 3	738	Lacedaemonii denuo Theopompo et Polydoro ducibus in Messeniam irrumpunt ib. 7, 7. Incerto eventu dimicatur 7, 8—8, 13.
10, 4	737	Messenii in montem Ithomen se recipiunt. Fuga Lycisci 9, 1—5.
12, 2	731	*ἔτει δὲ ἕκτῳ μετὰ τὸν ἐξ Ἰθώμης Λυκίσκου δρασμὸν* Lacedaemonii novam incursionem faciunt, 10, 1. Euphaes, Messeniorum rex mortuus 10, 3. 4. Aristodemus rex creatus.
13, 3	726	*πέμπτῳ ἔτει τῆς Ἀριστοδήμου (βασιλείας)* praelium ad radices Ithomes. 11, 1.

Ol.	a. C.	
$^{13,4}/_{14,1}$	$72^5/_4$	*μετὰ δὲ ταῦτα ἐδόκει σφίσι, καὶ γὰρ εἰκοστὸν ἔτος ἐπῄει τῷ πολέμῳ πέμπειν αὖθις ἐς Δελφούς.* 12, 7.
14, 1	724	Aristodemus se ipse interficit, postquam annos sex ac nonnullos menses regnavit. 13, 4. 5.
		τὸ δὲ ἀπὸ τούτου μῆνας μέν που πέντε μάλιστα ἀντέσχον, περὶ δὲ τὸν ἐνιαυτὸν λήγοντα ἐξέλιπον τὴν Ἰθώμην πολεμήσαντες ἔτη τὰ πάντα εἴκοσι. 13, 6. 7.
23, 4	685	Initium belli secundi *ἔτει τριακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν. . . . ἀπέστησαν.* 15, 1.
24, 1	684	Pugna apud Deras, *ἔτει πρώτῳ μετὰ τὴν ἀπόστασιν.* Aristomenes *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* creatus. 15, 4.
?	?	Tyrtaeus Athenis arcessitus Spartam venit 15, 6.
24, 2	683	Praelium ad Apri signum, *ἐνιαυτῷ ὕστερον τοῦ περὶ τὰς Δέρας ἀγῶνος.* 15, 7.
24, 3	682	Clades Messeniorum ad fossam magnam accepta, *τρίτῳ ἔτει τοῦ πολέμου,* proditione Aristocratis Arcadis 17, 2. Receptus Messeniorum in montem Iram. 17, 10.
27, 2	671	*ἑνδεκάτῳ δὲ ἔτει τῆς πολιορκίας τήν τε Εἶραν ἐπέπρωτο ἁλῶναι.* 20, 1.
28, 1	668	*ἑάλω δὲ ἡ Εἶρα καὶ ὁ πόλεμος ὁ δεύτερος Λακεδαιμονίων καὶ Μεσσηνίων τέλος ἔσχεν.* 23, 4.

Pausaniae ratione ita constituta alia de temporibus testimonia anquirenda sunt.

Quod ad primum bellum attinet, Eusebius cum Pausania consentit, initium belli Ol. 9, 3, i. e. autumno anni 743 attribuens.

Orosius I 21 contra: „Anno vicesimo ante urbem conditam Lacedaemonii contra Messenios . . . per annos XX indefesso furore bellantes.“ Quo efficiuntur anni 772—752. Orosius qui omnino et imprimis hoc loco Iustinum fere ad verba exscripsit quam temporum rationem secutus sit incertum est [1]).

In multo priora tempora ducimur verbis Lycurgi (in Leocr. § 62): *Μεσσήνην πεντακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον ἐκ τῶν τυχόντων ἀνθρώπων συνοικισθεῖσαν*, cui oratori nulla est habenda fides, cum paulo ante Troiae excidio memorato numerum proferat magis ad rhetoricum ornatum quam ad veritatem historicam adaptatum [2]).

De temporis belli spatio omnes uno ore consentiunt, cum alii accuratius per undeviginti plenos omnes partemque vigesimi ductum memorent, cf. Tyrt. apud Strab. VI 279, Paus. IV 13, 6, alii universe viginti annos numerent, cf. Isocr. Archid. p. 127 E. Diod. XV 66. Oros. I 21. Nihil igitur obstaret computationem illam ad Sosibium, sicut supra demonstrare conati sumus, referre, nisi tabula Olympionicarum aliam nobis offerre videretur difficultatem. In qua cum ab Ol. 3 usque ad Ol. 11 (768—736) septem Messenii victores numerentur, ab hoc inde tempore nomen Messeniorum plane latet usque ad Ol. 103 (368), quo tempore Messene nova condita erat [3]). Quod fortuitum esse nemo affirmabit; et iam Pausanias explicandi rationem quaesivit, cum existimet, Messenios Peloponneso eiectos a fortuna derelictos esse (VI 2, 10). Verisimile videtur dum

---

1) Brandis l. l. p. 27 Orosium Thrasylli rationem secutum coniecit. Qua de re vix ad probabilitatem aliquam perveniri potest. Nec Th. Moernerum quidquam hac de re annotasse video (de Orosii vita eiusque histor. libr. VII p. 70. 71).

2) Cf. Sainte-Croix, Mém. de l'acad. des Inscr. Vol: XLV p. 342.

3) Ol. 88 (428) Messenius quidem vicit, verum *ἀπὸ Σικελίας* (Diod. XII 49).

bellum gereretur, nec Messenios nec Lacedaemonios ludis Olympiis interfuisse, cuius rei testimonium est, quod inde ab Ol. 12 Corinthii, Megarenses aliaeque gentes victores exstant, belli non participes. Victis autem Messeniis Lacedaemonii qui Olympiae primas agebant partes aditum non permittebant.

Quibus rebus commoti et Danckerus [1]) bellum ante a. 736 non coepisse contendit et Th. Bergkius inter theses suas posuit [2]) ab Ol. 11—16 gestum esse bellum. Pausaniam et Eusebium qui sequuntur coepto iam bello duos Messenios Olympia vicisse statuant necesse est, Dotadem Ol. 10 et Leocharem Ol. 11.

Potest quidem difficultas ita solvi, ut reputemus primis annis verum bellum omnino non exstitisse, cum praeter annuas incursiones, utpote quae mutuae fuerint (Paus. IV 7, 2), et dubia praelia nihil Messeniis contrarium evenerit, Theopompo demum belli duce gravius imminuisse bellum; Theopompum vero Ol. 10, 3 primum in Messeniam irrupisse, potuisse igitur et duobus annis antea et postea Messenios ludis Olympicis interesse.

Certissimum id est: bellum inter duos terminos inclusum esse, victoriam Polycharis anno 764 reportatam et annum quo Tarentum conditum sit, teste Eusebio Ol. 18, 1 = 708 [3]). Ergo retinenda videtur ratio ab Eusebio et Pausania e Sosibio nobis tradita.

In b e l l o a l t e r o ad quod nos convertimus constituendo liberius agere licet, cuius tempora Pausanias, suo testimonio (IV 15, 2 sq.) nullis certis rationibus innixus sola sua computatione distribuerit, ansam ei praebentibus

1) Gesch. d. Alterth. III p. 390, not. 3.

2) Mus. Rhenan. XX p. 288.

3) Tarentum a Partheniis qui dicebantur conditum est, bello exacto primo, quod testantur Antiochus apud Strab. VI 278 frg. 14 Muell. et Ephorus apud eund. p. 280 frg. 53 Muell.

Tyrtaei versibus. Priusquam igitur pergamus, num verba illa recte intellexerit auctor quaerere oportet.

Poetae verba haec sunt [1]:

ἀμφ' αὐτὴν (sc. Μεσσήνην) δ' ἐμάχοντ' ἐννεακαίδεκ' ἔτη
νωλεμέως, αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες,
αἰχμηταὶ πατέρων ἡμετέρων πατέρες.

Quae Pausanias sic interpretatur: δῆλα οὖν ἐστιν ὡς ὕστερον τρίτῃ γενεᾷ τὸν πόλεμον οἱ Μεσσήνιοι τόνδε ἐπολέμησαν, eoque commotus seculum quadraginta annorum intervallum ponit, ultimo primi belli anno et primo secundi annumeratis [2]). Ut eorum qui primi socii fuissent belli filii quidem in pace vixissent, nepotes vero interfuissent secundo bello.

Pausaniam secuti sunt Clinton (l. l. I 252) et Fischerus (l. l. p. 81), haud accurato iudicio mea quidem sententia. Statuendum enim non est, verbis poetae tam accuratam seculorum rationem inesse, cum nihil aliud enuntiare ea existimem, nisi universam longioris alicuius temporum spatii significationem: maiores generis viventis bellum primum gessisse. Attamen etiam verbis Tyrtaei ad diligentem vocatis calculum aliud quoddam efficitur. Ponamus enim, cum Spartanis ante trigesimum annum uxorem ducere solitum non fuisse constet [3]), patres eorum, qui secundi socii fuerint belli, fine belli primi natos anno trigesimo uxores duxisse, liberos procreavisse, filios eorum principio belli secundi septem vel octo annos natos fuisse concludendum est: quod prorsus absurdum.

At omniuo reputandum Tyrtaeum poetam esse, non historiarum scriptorem eiusque verba non aurificis statera esse examinanda itaque premenda ut certissima computatio extricetur.

---

1) Cf. Paus. IV 15, 2. Strab. VI 279. Tyrt. frg. 3, 4 sqq.
2) ἔτει τριακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν. 15, 1.
3) Cf. Schoemanni antiq. gr. I 272 Muelleri Dor. II 280.

Testimonio igitur Pausaniae nihili ducto ad finem saltem verisimilem pervenire conabimur, aliorum auctorum sententiis inter se comparatis. Iustinus III 5, 2 octoginta inter bella annos interfuisse ait [1]); Eusebius etiam longius intercessisse intervallum testatur, cum a fine primi belli Ol, 10, 1 usque ad Ol. 36, 3, cui attribuit initium secundi, circiter nonaginta numerentur anni. Quibus addendus Suidae de Tyrtaeo locus iam supra memoratus, floruisse illum Ol. 35.

Quos auctores negligentissime tractaverunt nonnulli qui ut Pausaniam sequerentur, aut omnibus illis fidem ullam habendam esse negaverunt [2]), aut verba eorum corrupta rati emendare conati sunt, imo potius corrumpere sanissima [3]).

De spatio belli Pausaniam secum ipso certare supra demonstravimus, septemdecim ei attribuendos annos probabile rati.

Tum a fine belli usque ad reditum Messeniorum ab Epaminonda arcessitorum Pausanias semel trecentos rotundos annos numerat (27, 11), iterum accuratius ducentos octoginta septem (27, 9). Qui numerus cum recte sese non habeat (nam ab Ol. 28, 1 usque ad Ol. 102, 3 anni sunt ducenti nonaginta octo), nescio an Perizonius [4]) et Palmerius iure pro *ὀγδοήκοντα* scripserint *ἐνενήκοντα*. Ita Pausanias in computo suo perstabit.

Alii alios numeros tradiderunt, quos breviter perlustrabimus. Isocrates (Archid. 27 p. 121 B) [5]) et Di-

---

1) Dein cum per LXXX annos gravia servitutis verbera . . . perpessi essent. Orosius I 21 numerum omisit.

2) S. Croix l. l. p. 330.

3) Rollin, hist. ancienne I 656 not. (Ed. Halens. 1763) qui apud Iustinum „*per complures annos*“ legere vult.

4) Ad Aelian. var. hist. XIII 42.

5) *τῷ μὲν βαρβάρῳ τὴν Ἀσίαν ὡς πατρῴαν οὖσαν ἀποδιδόασιν,*

narchus (in Dem. 73 p. 52 Reiske: *Μεσσήνην τετρακοσιοστῷ ἔτει κατῴκισαν*) quadringentos omnino annos enumerant, Lycurgus etiam computat quingentos (in Leocr. § 62).

De quibus omnibus id iudicandum videtur: rhetorica ratione usos esse numeris quam maximis, quibus certa fides haberi non debeat. Apparet, quod iam in Tyrtaei patria vidimus, quanta licentia oratores in antiquissimorum temporum rebus gestis usi sint.

Aliter sese habet locus Plutarchi (regum et imperatorum apophth. p. 194 B), ubi narratur, Epaminondam accusatum quod boeotarchia ultra solitum functus esset cum causam dicere noluisset, res gestas suas iactantem poposcisse ut damnato se et interfecto cippo inscriberetur: *ὅτι μὴ βουλομένους Θηβαίους Ἐπαμεινώνδας ἠνάγκασε . . . οἰκίσαι Μεσσήνην δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ διακοσίων* [1]).

Quo cum ad annum 600 a. C. ducamur, non possumus quin aut errorem auctoris statuamus aut numerum corruptum existimemus. Vtique falsa est sententia O. Muelleri [2]), ducentos triginta annos a morte Leonidae numerandos affirmantis, cuius hoc loco omnino nulla fit mentio. Emendationem postea quaeremus.

Deinde et apud Pausaniam ipsum exstant aliquae res quibus nitamur. Postquam enim Aristomenem Rhodi mortuum esse narravit, obiter attingit Diagoridarum, quae a filia eius originem traxerit, stirpem, Olympicis clarissimam victoriis plurimis (IV 24, 3). Fusius de iis dixit idem Pausanias VI 7, 1 sqq. Diagoras ille, cuius duo filii uno eodemque

---

ὃς οὔπω διάκοσι' ἔτη κατέσχηκε τὴν ἀρχήν, ἡμᾶς δὲ Μεσσήνην ἀποστεροῦσιν, οἳ πλέον διπλάσιον χρόνον ἢ τοσοῦτον τυγχάνομεν ἔχοντες αὐτήν.

1) Exscripsit eum Aelianus var. hist. XIII 42.

2) Dor. I 146, not. 2. Sequitur Duncker Gesch. d. Alterth. III 390, not. 3.

die Olympia vicerunt [1]), et qui ipse in pugillatu Ol. 79 (464) vicerat, quam victoriam Pindarus [2]) celebravit, quintus ab Aristomene fuisse dicitur (Paus. l. l.) Stemma totius gentis apud Pausaniam hoc est:

Aristomenes 1.

|

filia ∾ Damagetus 2.

|

Dorieus 3.

|

Damagetus II 4.

|

Diagoras vicit 464 5.

Damagetus III Acusilaus uno die vicerunt — Dorieus II vicit ter Ol. 87—89 + 406 [3]) 6.

Apparet usitata seculorum computatione ad annum 600 a. C. nos reduci, quo evidentior emendatio Clintonis est [4]), qui nomina ordine quodam inter se alternare animadvertens facile fieri potuisse sibi persuasit, ut librarii errore unum eorum excideret. Quam ob rem inter Damagetum I et Doriea Diagora inserto effecit ut nunc tria illa nomina: Damagetus, Diagoras, Dorieus sese suscipiant. Qua emendatione mox optime uti poterimus.

Tandem, ne quidquam omittam, Theopompus finem belli etiam post a. 600 posuisse videtur qui haec tradidit [5]): *Φερεκύδην . . . ἀνιόντα τε εἰς Ὀλυμπίαν ἐς Μεσσήνην τῷ ξένῳ Περιλάῳ συμβουλεῦσαι μετοικῆσαι μετὰ τῶν οἰκείων*

1) Cic. Tusc. I § 111.

2) Olymp. 7, cuius scholiasta annum tradit.

3) Cf. Androtion. apud Paus. VI 7, 6 frgm. 49 Mueller.

4) Fast. Hellen. I p. 254 g.

5) Cf. Diog. Laert. I 11, 116, frg. 66 Mueller.

καὶ τὸν μὴ πεισθῆναι, Μεσσήνην δὲ ἑαλωκέναι. Pherecydes enim philosophus cum sub a. 600 natus sit [1]), iter eius multo posteriori tempori assignandum foret, ni iam antiquitus demonstratum esset, Theopompum ad verbum transscripsisse Andronem Ephesium nisi quod nomina Pythagorae et Sybaris apud illum inventa in Pherecydem et Messenen mutasset, teste Porphyrio apud Eusebium praep. evang. X p. 464 D: *ταῦτα τοῦ Ἄνδρωνος περὶ Πυθαγόρου ἱστορηκότος πάντα ὑφείλετο Θεόπομπος.* Tota ista narratiuncula nihili igitur habenda est.

Quaestione nostra hucusque perducta effecisse mihi videor haec:

1) Pausaniae auctoritatem in constituendo belli secundi tempore legem praebere nobis nequire.

2) Fida vero pauca quae ex Tyrtaeo assumi possint testimonia esse.

3) Fidem maiorem habendam esse Eusebio et Iustino bonos secutis fontes.

4) Constat igitur, tempus inter primum et secundum bellum praeteritum superasse unum seculum; spatium bello secundo septemdecim annorum assignandum; inde ab expugnatione Irae usque ad restitutionem Messeniae minimum ducentos triginta annos praeteriisse.

Restat nunc ut num quae certior temporum constituendorum ratio se praebeat quaeramus. Exoptatissimum nobis offert indicium Strabo vel fortasse Ephorus, quem in rebus Messeniacis sequi solet Strabo. Ait enim VIII 362: *τὴν δὲ δευτέραν* (sc. *ἀπόστασιν*), *καθ' ἣν ἑλόμενοι* (*οἱ Μεσσήνιοι*) *συμμάχους Ἀργείους τε καὶ Ἀρκάδας* [2]) *καὶ*

---

1) Clinton, fast. Hell. I 237. II 9.

2) Codd. *Ἠλείους*, quod a Strabone scriptum esse nequit, qui ipse (p. 355) Eleos Lacedaemoniorum et nostro loco paucis verbis post Arcades Messeniorum socios nominet. Cf. Kramerum ad h. l. II 154.

Πισάτας ἀπέστησαν, Ἀρκάδων μὲν Ἀριστοκράτην τὸν Ὀρχομενοῦ βασιλέα παρεχομένων στρατηγόν, Πισατῶν δὲ Πανταλέοντα τὸν Ὀμφαλίωνος.

Errat Pausanias qui Eleos inter socios Messeniorum una cum Arcadibus et Argivis enumerat (IV 15, 7), nam sicut Elei semper cum Lacedaemoniis ita cum Messeniis faciebant Pisaei, inter Eleos autem et Pisaeos paene perpetuae erant inimicitiae. Etenim postquam Elei olympiades viginti sex priores integri inviolatique administraverunt [1]), Pisaei paulatim agonothesiam assequi studebant atque impetrabant ut Eleorum vice ludos celebrarent, quae fuit Ol. 28 (668), teste Iulio Africano s. a. *ταύτην ἦξαν Πισαῖοι.* Adiuti sunt a Phidone, Argivorum rege clarissimo, qui una cum iis sacra administravit. Cf. Paus. VI 22, 2: *Πισαῖοι . . ὀλυμπιάδι μὲν τῇ ὀγδόῃ καὶ εἰκοστῇ* [2]) *τὸν Ἀργεῖον ἐπηγάγοντο Φείδωνα . . καὶ τὸν ἀγῶνα ἔθεσαν ὁμοῦ τῷ Φείδωνι.* Spartani anno ante Ol. 27, 4 (669) magno apud Hysias praelio ab Argivis fugati [3]) Eleis auxilium ferre non poterant. Deinde ad Ol. 30 (660) apud Iulium Africanum exstant verba: *Πισαῖοι Ἠλείων ἀποστάντες ταύτην τ' ἦξαν καὶ τὰς ἑξῆς κβ'*, i. e. Ol. 30—52, quibuscum Pausanias certare videtur, qui olympiades enumerans quas *ἀνολυμπιάδας* habuerint Elei (VI 22, 2,) Pisaeos Ol. 34 (644) sub rege Pantaleonte, filio Omphalionis celebrasse tradit [4]). Verum res ita explicanda erit,

---

1) Strabo VIII p. 355 *μέχρι τῆς ἕκτης καὶ εἰκοστῆς ὀλυμπιάδος . . τὴν προστασίαν εἶχον τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τοῦ ἀγῶνος Ἠλεῖοι.*

2) Verba *καὶ εἰκοστῇ* post Falconerum Weissenbornius adiecit in egregia de Phidone commentatione (Hellen. p. 19).

3) Cf. Paus. II 24, 7. Recte coniecit Weissenborn, Argivos duce Phidone vicisse.

4) *Τετάρτῃ δὲ ὀλυμπιάδι καὶ τριακοστῇ στρατὸν οἱ Πισαῖοι καὶ βασιλεὺς αὐτῶν Πανταλέων ὁ Ὀμφαλίωνος . . . ἐποίησαν ἀντὶ Ἠλείων τὰ Ὀλύμπια.*

ut Pisaci tum ab Eleis impetrarint ut una cum iis praesiderent ludis, trigesimam autem quartam olympiadem celebrarint soli [1]). Quod et Strabo indicare videtur (VIII 355): *μετὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν ὀλυμπιάδα οἱ Πισᾶται τὴν οἰκεῖαν ἀπολαβόντες αὐτοὶ συνετέλουν, τὸν ἀγῶνα ὁρῶντες εὐδοκιμοῦντα.*

Apparet igitur, Pisaeis bene evenire non potuisse nisi Lacedaemoniis alibi occupatis, quo nixi bello secundo Messeniaco eos fuisse implicatos recte, ni eregie fallimur, statuemus. Spartanos primis belli annis haud feliciter pugnasse gravesque accepisse clades constat, cum qualem ad desperationem adducti fuerint optime Tyrtaei carmina doceant. Ergo facillime anno 645 (Ol. 33, 4) incepisse bellum statuemus [2]). Tum ambobus interfuerit bellis spatium annorum LXXIX, cui numero Iustini anni LXXX rotundiores bene se applicant. Eusebius vero unde sumpserit annos suos LXXXX nescire me fateor [3]).

Finis belli anno 628 (Ol. 38, 1) attribuendus erit [4]). Nec dissentit Suidas l. l. qui aetatem Tyrtaei in Ol. 35 (640) ponit.

Accedunt duo quibus fulciamur testimonia supra iam memorata.

Plutarchus enim (apophthegmat. p. 194 B) ducentos triginta annos bellis interponit, quem numerum corruptum esse mihi persuasum habeo. Quamquam difficile videtur emendationem proferre re iam peracta, cui adaptare volumus, tamen probabilem existimo coniecturam, legendum esse: *οἰκίσαι δὲ Μεσσήνην δι' ἐτῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων*, nam literae *Ν* (*πεντήκοντα*) et *Λ*

1) Hoc vidit Clinton I p. 192.

2) Eundem annum ponit Duncker III p. 512, not. 1.

3) Nescio an et hic diversae Eratosthenis, quem Eusebius sequebatur, et Sosibii, quo fortasse Trogus vel fontes eius utebantur, rationis vestigia lateant.

4) Eodem modo iudicavit Schaefer, de ephor. Laced. p. 14.

(*τριάκοντα*) facile commutari poterant. Etiamsi accurate numerantibus ab a. 628 ad a. 370 efficiuntur 258 anni, apparet ex contextu sermonis, Epaminondam magis spectare numerum gravem et ad permovendos animos idoneum quam nimiam diligentiam.

Tum breviter repetendum est Diagoridarum stemma, quod ad sex secula cum Clintone supra auximus. Quantum enim ab a. 628 usque ad victoriam a Diagora reportatam 464 a. C. abiit temporis, annos amplectitur centum sexaginta quatuor, qui, deductis ante annis quindecim quos fortasse Rhodi etiam vixerit Aristomenes, et viginti quinque qua fere aetate fuerit Diagoras, bene quatuor Diagoridarum qui reliqui sunt seculis respondent. Certe verisimile est, Pausaniam clarissimae Olympionicarum gentis perpetuum stemma novisse.

Postremo videndum est, quomodo ratio nostra consentiat cum aetate filiae Aristocratis, regis Arcadum, quae a Procle Epidaurio tyranno in matrimonium ducta est. Aristocrates quidem, qui saepius Messenios prodiderat, tandem post finem belli alterius detectus a popularibus suis lapidibus obrutus eiusque stirps exstincta est [1]). Pausanias quoque testatur, culpam eius causam fuisse, quod Cypselidae regno Arcadiae prorsus depellerentur, VIII 5, 13 *αὕτη δέ ἡ ἀδικία καὶ τῷ γένει τῷ ἀπὸ Κυψέλου παντὶ παρέσχεν αἰτίαν πανσθῆναι τῆς ἀρχῆς*. Liberos eum duos habuisse, filium Aristodemum et Eristheneam filiam, tradit Heraclides Ponticus apud Diog. Laert. I 7, 94. (*Ἐρισθενείας τῆς Ἀριστοκράτους παιδός, ἀδελφῆς δὲ τοῦ Ἀριστοδήμου, οἵ σχεδὸν πάσης Ἀρκαδίας ἐπῆρξαν*). Post Aristocratem Cypselidarum in Arcadia neminem regnasse prioribus testimoniis elucet, at filius Aristodemus iam

1) Cf. Polyb. IV 33. *πρὸς δὲ τούτοις ἀναζητήσαντες τὴν Ἀριστοκράτους τοῦ βασιλέως προδοσίαν ἐν τῇ μάχῃ τῇ καλουμένῃ περὶ τάφρον, αὐτόν τ' ἀνεῖλον καὶ τὸ γένος αὐτοῦ πᾶν ἠφάνισαν.*

vivente patre fortasse aliquam aliam regni partem administrare potuit, cum Aristocrates ipse summam imperii teneret qui et *βασιλεὺς Ὀρχομενοῦ* appellatur (Strabo VIII 362). Quod et verba Heraclidis indicant, cum dicat *οἵ... ἐπῆρξαν*. Ergo nihil est quod cum Muellero [1]) Pausaniae et Polybio (qui ibi ipse loquitur, non Callisthenes) fidem non habeamus. Filia enim iam prius Procli nupserat perniciemque effugit. Sic optime ad chronologiam nostram adaptantur omnia.

Eristhenia e Procle marito filiam peperit Lysidam, quae a Periandro Corinthiorum tyranno in matrimonium ducta est nomine Lysida in Melissam commutato [2]). Cui duos filios peperit, Cypselum et Lycophronem: mox deinde a marito quem pellices irritaverant gravida calce percussa interfecta est. Filii tum octodecim et septemdecim annos nati erant (Herod. III 50) nec diu Periander illi superstes fuisse videtur (ib. 53). Mortuus est anno 585, teste Sosicrate annos octoginta natus (Diog. Laert. I 95).

Proclem a. 630 Eristheniam uxorem duxisse ponere licebit, filia eorum Lysida aliquot annis post nata anno 605 Periandro nubere potuit, qui tunc sexaginta annos natus erat. Maior eius aetas eo probabilis fit, quod aequalis fuit soceri [3]). Mortua Lysida anno 586 Cypselus filius maior natus annum decimum octavum agebat. Sequenti anno Periander diem supremum obiit.

Videmus igitur et hanc a nostro computo haud abhorrere rationem, atque ita perlustratis omnibus quae restabant satis demonstratum esse mihi persuasum habeo

1) Aeginetic. p. 64 sq. cf. quae contradixit Schoemann, antiqu. gr. I 123, 3.

2) Diog. Laert. I 94. Paus. II 28, 8. Pythaenetus ap. Ath. XIII p. 589 F. cf. Mueller, frg. hist. IV 487.

3) *ἐτυράννει δὲ καὶ οὗτος Ἐπιδαυρίων, καθὰ δὴ καὶ ὁ γαμβρὸς οἱ Περίανδρος Κορίνθου.* Pausanias l. l.

vulgarem atque tritissimam belli secundi temporum computationem nihili aestimandam esse, quippe quae prorsus discrepet ab omnibus quos proferre possimus optimis auctoribus. Consentaneum esse videtur tandem fabulosis antiquitus traditis temporum rationibus abiectis tales tantum ponere, quae certis et fidis fulciantur testimoniis. Ut ad explanandas antiquissimorum temporum rationes quantulumcunque afferrem mihi contigisse spero virisque doctis penes quos est iudicium commendo opusculum, id quidem haud nesciens, rem me suscepisse quo magis studiis eo minus viribus adaequatam.

Philippus Kohlmann de vita sua.

Natus sum anno huius seculi XLII Hornae, in pago territorii Bremani, patre Ioanne Melchiore ibi verbi divini ministro, matre Carolina e gente de Lingen, quorum aliquot ante annos morte mihi ereptorum memoriam pio animo colo. Fidei ascriptus sum evangelicae. Literarum primordiis imbutus gymnasium patriae urbis adii, quod tunc F. A. Menkio, deinceps A. Th. Gravenhorstio directoribus florebat. Egregia ibi Gravenhorstii, Tappenbecki, Ruperti disciplina per sex annos usus auctumno anni LXI maturitatis instructus testimonio Tubingam me contuli, studiis et philologicis et theologicis operam navaturus, mox vero totum me dedi philologiae. In alma illa literarum matre scholis interfui quas habuere viri clarissimi Bursian Herzog Hirzel Oehler Pauli Preuner Reiff Roth de Roth, nec defui seminario philologico atque exercitationibus et philologicis et archaeologicis Bursiano moderante, viro ut de studiorum philologicorum flore Tubingae optime merito, ita mihi grata semper memoria persequendo. Tubinga relicta anno LXIV Bonnam me contuli ibique per duos annos commoratus sum, nisi quod ultra sex menses domi apud patrem morbo gravi et mortifero affectum mansi. Prodocentes audivi Bernaysium Heimsoethium O. Iahnium Maurenbrecherum Ritschelium Ritterum Schaeferum Springerum Sybelium Usenerum.

Seminarii historici sodalis fui fere per bis sex menses Kampschultio Schaefero Sybelio vv. dd. directoribus et benevolentia Schaeferi factum est, ut et ad exercitationes quas moderabatur historicas aditus mihi pateret. Ut archaeologicis exercitationibus vires exercerem O. Iahnius benigne concessit. Quibus viris omnibus ut semper habebo memoriam gratam, ita inter omnes me sibi devinxerunt Bursianus Paulius Tubingenses, Iahnius Schaeferus Bonnenses, qui quanto studia mea auxerint et docendo et suadendo vix dicere possum.

Theses controversae.

1. Pausan. II 24, 7 legendum puto: *τετάρτῳ δ' ἔτει τῆς ἑβδόμης καὶ εἰκοστῆς ὀλυμπιάδος.*

2. Pausan. IV 8, 10 ita restituo: *καὶ ἀθύμως εἶχον· οὔτε τούτοις φεύγουσί γε τοῖς Μεσσηνίοις ὁ Πολύδωρος κτλ.*

3. Iustin. III 5, 6 vel contra plurimos codices scribendum est: Tyrtaeum . . misere, qui tribus proeliis fusos eo usque desperationis Spartanos adduxit. coll. Oros. I 21.

4. Thuc. I 103 de verbis *οἱ δ' ἐν Ἰθώμῃ δεκάτῳ ἔτει* iniuria *δεκάτῳ* mutatum est a Kruegero et Classenio.

5. Soph. Aias 360 poetam scripsisse coniicio: *σέ τοι σέ τοι μόνον δέδορκα πημονῶν ἐπάρκεσιν.*

6. Soph. Oed. Tyr. 230: *εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χερός.*

7. Hor. od. III 4 ita e duobus carminibus compilatam puto, ut versus 1—20 a posterioribus seiungendi sint.

8. Cic. de leg. agr. II § 32 emendandum videtur: praeterea mulis tabernaculis tentoriis supellectili.

9. Fragmentum quod vulgo Diodoro tribuitur (Diod. VIII. fr. 12 Bekker) Myronis Prienensis esse videtur.

10. Pausanias primum *περιηγήσεως* librum primo quoque seiunctum edidit nonnullis annis antequam reliquos conscripsit.